Prorogatio non excuſat offenſam ex interuallo factam, deciſ. 11. num. 19.

Proxenetus non poteſt condemnari in pœnam ordinariam, ſed debet condemnari in pœnam extraordinariam Iudicis arbitrio, & ſatis leuem, deciſ. 16. num. 3.

Proxeneta non probat ad fauorem contrahentium in præiudicium tertij, deciſ. 31. num. 40.

Publico iure, qui vtitur non directum facere animo iniuriandi, deciſ. 30. num. 9.

Pulli alicuius ſi fiat reperti mortui in cellario alterius non faciunt inditium ad condemnandum Dominum cellarij de furto, deciſ. 8. num. 6. & 7.

Qualificata confeſſio debet acceptare, cum ſua qualitate, deciſ. 31. num. 22. & 24. niſi obſtet iuris præſumptio, num. 25.

Qualificata confeſſio non poteſt diuidi, quando habet clauſulam, & non aliter, nec alio modo, & aliter ac alio modo negauit, deciſione 16. numero ſeptimo, & octauo.

Qualificata confeſſio non poteſt diuidi, quando de qualitate confeſſionis apparet etiam per teſtes, deciſ. 16. num. 6.

Qualificata confeſſio in criminalibus diuiditur, quando teſtes fiſci nihil dicunt de aſſerta qualificatione, deciſ. 16. nu. 4.

Qualitas contenta in rubrica cenſetur repetita in nigro, deciſione 13. num. 10.

Qualitas à ſtatuto requiſita vbi non concurrit ceſſat illius diſpoſitio, deciſ. 28. num. 7. & deciſ. 31. num. 55.

Qualitas noua nouam efficit diſpoſitionem, deciſione 31. numero 41.

Qualitas defenſionis confeſſioni adiecta non poteſt per fiſcum ſeparari à confeſſione, ad effectum imponendi pœnam ordinariam, ſi de delicto aliunde non conſtet, deciſione 16. num. 6.

Qualitas adiecta in conſtitutione pœnale, & in inquiſitione inſerta, probari debet à fiſco, vt poſſit eſſe locus pænæ in conſtitutione penali contenta, deciſ. 11. num. 12. & dec. 15. num. 1.

Qualitas ciuilitatis perſonæ, offenſæ debet iuſtificari à fiſco, vt quis poſſit ex dicta qualitate condemnari, deciſione 15. numero 3.

Querela partis non ſufficit ad formandam inquiſitionem vbi agitur de pæna corporali imponenda principaliter, vel in ſubſidium, deciſ. 24. num. 1.

Querelator ex diſpoſitione ſtatuti Lucenſi debet præſtare cautionem de proſequenda, & probanda accuſatione, deciſione 3. num. 1.

Quodcunque verbum eſt vniuerſale, & comprehẽdit quamcunque generalitatem, deciſ. 13. num. 4. 5. & 6.

Ratio motiua ſtatuti, vbi non concurrit ceſſat illius diſpoſitio, deciſ. 28. num. 3.

Ratio alia vbi reddi non poteſt, illa quæ redditur habetur pro expreſſa, deciſ. 28. num. 1.

Ratio expreſſa in proœmio alicuius decreti dicitur finalis, deciſ. 11. num. 10.

Ratio finalis in decreto expreſſa reſtringit decretum ſolum ad illos, quibus ratio illa applicatur, deciſ. 11. num. 11.

Ratio alia aſſignari non poteſt cur ſtatuentes prohibuerint, quod Iudices non poſſent iurare de cauſa ſibi non liquere, niſi iſta, quod Iudices non valeant ſe excuſare à ſententiando in vltima die inſtantiæ ſub prætextu quod de cauſa ſibi non liqueat, deciſ. 28. num. 2.

Recurſus ex defectu iuriſdictionis eſt remediũ ſubſidiarium, deciſ. 21. num. 3.

Recurſus ex defectu iuriſdictionis ceſſat, quando datur recurſus ex defectu incompetentiæ, deciſ. 21. num. 4.

Recurſus vbi eſt nulliter interpoſitus, recurrens in expenſis condemnatur, deciſ. 21. num. 5.

Recurſu pendente nihil eſt innouandum poſtquam de recurſu facta eſt fides, deciſ. 30. num. 5. declara vt num. 6.

Reus negans commiſiſſe aliquod delictum, ſi de eo non conuincatur abſoluitur, deciſ. 7. num. 34.

Reus vbi eſt confeſſus, vel conuictus nullæ aliæ partes Iudicis ſunt, niſi in condemnando, deciſ. 10. num. 1.

Rubrica non attenditur, vbi nigrum eſt generalius rubro, deciſ. 13. num. 3. & 15. & declara, vt num. 16.

Rubrica non reſtringit nigrum, vbi nigrum eſt clarum, deciſ. 13. num. 7.

Scandalis obuiare ſpectat ad Iudicis officium, deciſ. 18. num. 6.

Scriptura præſumitur facta in actu traditionis nec, quando venditur habita fide pretio, deciſ. 31. num. 31.

Sententia mitiganda eſt, vbi proceditur ex præſumptionibus, deciſ. 14. num. 4.

Sententia fundata in probationibus à ſtatuto reprobatis eſt nulla ipſo iure, deciſ. 2. num. 16.

Sententia vbi reformatur expenſæ compenſantur, deciſ. 14. num. 6.

Sententia condemnans in pænam corporalem, & pecuniariam debet exequi quoad pænam etiam pecuniariam, ſi reperiatur exequuta quoad corporalem, deciſ. 26. nu. 18. declara tamen vt num. 19.

Sequentia declarantur per præcedentia, deciſione 17. numero 17.

Sericum poteſt manere in Doghana Bononiæ per duos menſes, abſque eo, quod de eo ſoluatur Gabella, dummodo non intret Ciuitatem de Menſibus Martij, Aprilis, & Maij, deciſ. 31. num. 52.

Sericum, quod introducitur Bononiam ad effectum vendendi eſt ſuppoſitum datio, deciſ. 31. num. 54.

de Serico introducto Bononiam per tranſitum non poteſt transferri Dominium ſine ſolutione datij, deciſione 31. num. 59.

Singula, quæ non poſſunt multa collecta iuuant in ciuilibus, non autem in criminalibus, deciſ. 8. num. 23.

Sola facti veritate inſpecta vbi proceditur, fides adhibetur probationibus tantum veroſimilibus, ac perſuaſiuis, deciſ. 29. num. 7.

Sola facti veritate inſpecta, vbi agitur non poteſt Iudex fidem adhibere teſtibus in caſu à Statuto prohibito, & inhabiles habilitare, contra ſtatuti diſpoſitionem, deciſ. 2. num. 17.

Specialis prouiſio præfertur generali, deciſione 21. num. 2. & deciſ. 31. num. 60.

Stare non prohibetur, quod non reperitur prohibitum, deciſ. 6. num. 3.

Statutum vbi requirit aliquid pro forma ad aliquem finem poteſt impleri per æquipollens, deciſione 29. numero 8.

Statu-

INDEX.

Statutum informatur potius à conſuetudine, & obſeruantia ſubſequuta, quam à iure communi, deciſ.23.num.5.

Statuta recipiunt interpretationem paſſiuam à iure communi, deciſ.23. num.3. & deciſ.26.num.14.

Statuti diſpoſitione quis iuuari non poteſt, vbi non fuit ſeruata illius forma, deciſ.22.num.3.

Statuti verba debent ſemper interpretari, vt non ſtent ſine effectu, deciſ.20.num.5.

Statutum Lucen.49.l.4. diſponens, quod fiſcus poſſit vſque ad ſententiam teſtes, ac probationes recipere intelligitur ſecundum diſpoſitionem iuris, videlicet parte citata, vel monita, deciſ.1.num.4.

Statutum vnum per aliud declaratur, deciſ.29.num.12.

Statutum in eo, quod non corrigit ius commune recipit ab eo paſſiuam interpretationem, deciſione 1.num.5.

Statuta pœnalia debent ſtrictè, & propriè intelligi omni penitus extenſione reiecta, deciſ.11.num.7.

Statutum, quod maſculinum concipit fœmininum recipit interpretationem paſſiuam à iure communi, deciſ.11.nu.8.

Statutum Lucen.177.l.4. dum diſponit quod vbi, & quando damnificator in quocunque damno dato reperiri non poteſt damnum debeat emendari per Communitatem loquitur in Terris & rebus cultiuatis, & non in animantibus ratione carentibus, deciſ.13.num.1.

Statuti nigrum attenditur dubio eſt generalius rubro, deciſ.13.num.3. & 15. & declara vt num.16.

Statutum quod vult illos, qui tenentur ad cuſtodiam non teneantur ſi commodè denunciare non poſſunt, ex quo ignorarent, vel ignorare potuerint damnum videntur quod noluerit punire ignorantes, ſed tantum ſcientes, deciſ.13.num.26.

Statutum licèt pœnale debet exiſtimari fauorabile, & non odioſum, ſi reſpicit publicam vtilitatem, & ideo debet extendi, & ampliari, deciſ.17.num.9.

Statutum reſpiciens publicam vtilitatem, licèt ſit fauorabile, tamen in quantum continet pœnam, eſt continendum in finibus ſuis, adeò vt habeat locum ſolum in caſu expreſſo, deciſ.17.num.10.

Statuentes ſi voluiſſent comprehendere in ſtatuto aliquem caſum, illum expreſſiſſent, cum facilè eis fuiſſet, deciſ 17.num.13.

Statuentes prohibendo, quod Iudices non poſſint iurare de cauſa ſibi non liquere, ſi intelligere voluiſſent, quod non liceat ita iurare, etiam quando illi ſupereſſet de inſtantia, hoc dixiſſent, deciſ.28. num.4.

Statuti determinatio, vbi adeſt vlterius inquiri non debet, deciſ.27.num.2.

Statuti caſus vbi adeſt inanis dicitur diſputatio, deciſ.27. num.3.

Statuti vna pars per aliam declaratur, deciſione 17.numero 15.

Statuti verba præcedentia recipiunt interpretationem à verbis ſubſequentibus eiuſdem ſtatuti, deciſ.17.num.16.

Statutum quod credatur libro Mercatoris non procedit, ſi Mercator ſit infamis, deciſ.26.num.15.

Statutum mandans, quod de damno debeat ſtari debeat iuramento damni paſſi, non habet locum ſi damnum paſſus ſit infamis, deciſ.26. num.16.

Statutum pœnale loquens in caſu ſimplici non habet locum in caſu mixto, deciſ.28.num.4.

Statuta duo vbi repeiriuntur alterum ſpeciale, & alterum generale ſemper attenditur illud, quod in ſpecie caſum controuerſum decidit, deciſ.31. num.61.

Statutum primum generale reſtringitur per ſecundum ſpeciale, deciſ.31.num.62.

Statutum generale debet ſeruari in omnibus alijs caſibus in quibus non loquitur ſtatutum ſpeciale, deciſione 31.numero 63.

Stupri corpus vt dicatur probatum requiruntur duæ matronæ, deciſ.18.num.2. etiam ſi in loco delicti non adeſſet niſi vna tantum obſtetrix, quia adhuc eſſet vocanda alia de locis propinquis, num.3.

Stuprum vt dicatur probatum obſtetrices debent reddere rationem ſui dicti, etiam non interrogatæ, deciſione 18.numero 4.

Subueniri non debet ijs, qui incidunt in foueam, quam fecerunt, deciſ.3.num.50.

Dictio ſupradicta refertur ad præcedentia, deciſ.26. numero 10. & 11.

Stylus fori, in quo cauſa ventilatur ſemper attendi debet, deciſ.29.num.20. etiam ſi ſit contra ius, num.21.

Taxatione expenſarum non datur appellatio, deciſ.20. num.6.

Tempus, & locus aggrauant delictum, deciſ.12.num.1.

Tempus ad appellandum in cauſis criminalibus eſt decem dierum à die latæ ſententiæ, ex diſpoſitione ſtatuti Lucen. deciſ.23.num.1.

Tempus ad appellandum de iure communi currit à die ſcientiæ latæ ſententiæ, deciſ.23.num.2.

Tempus ad appellandum à ſententijs criminalibus in Curia Lucen. de illius inueterata conſuetudine currit à die latæ ſententiæ, deciſ.23.num.4.

Teſtis de auditu non probat, quando repellitur author, deciſ.31. num.39.

Teſtes contraria deponentes ad inuicem ſe deſtruunt, deciſ. 31.num.33.

Teſtis vnicus in criminalibus non probat, deciſ.1.num.1.& deciſ.2.num.1.& deciſ.7.num.28.

Teſtis vnicus facit tantum indicium in criminalibus, deciſ. 14.num.3.

Teſtis non repetitus parte citata, vel præſente perinde eſt, ac ſi non eſſet examinatus, deciſ.1.num.2.

Teſtis repetitus à fiſco extra terminum non probat, niſi fuerit citata pars ad videndum illum repeti, deciſione 1. numero 10.

Teſtes duo, vel tres plenè probant, deciſ.1.num.11. & deciſ.2. num.1.

Teſtis depoſitio debet concludere perneceſſe alias non probat, deciſ.2. num.3.

Teſtis deponens per verba non concludentia ad ſummum facere poſſunt indicium, deciſ.2. num.8.

Teſtis qui non poteſt examinari, ſi reperiatur examinatus non facit indicium, deciſ.2.num.13.

Teſtis examinatus extra terminum probatorium non probat, deciſ.3.num.6. & deciſ.7. num.35.

Teſtis examinatus abſque interrogatorijs à parte datis non probat, deciſ.3.num.7. & deciſ.7.num.38.

Teſtes qui dicunt vidiſſe de nocte redduntur ſuſpecti, ſi non dicant, quod Luna luceret, deciſ.4.num.1.

Teſtes deponentes in criminalibus abſque iuramento redduntur ſuſpecti de falſo, deciſ.7.num.27.

Teſtis deponens dubitatiuè non probat, deciſione 7. numero 29.

Te-

Digitized by Google

I N D E X.

Teſtes ſiſci non probant, vbi non fuerunt repetiti ſuper interrogatorys à parte exhibitis, deciſ.7.num.38.

Teſtis ſibi contrarius fidem non meretur, deciſ.8.num.8.

Teſtes vt probent publicam vocem, & famam requiritur quod ſint omni exceptione maiores, deciſ.8. num.11.

Teſtes deponentes de fama, vt illam probent, non ſufficit, quod dicant publicè audiuiſſe, ſed etiam non interrogati debent dicere audiuiſſe à maiori parte populi, deciſione 8. num.12.

Teſtes vt probent famam non ſufficit, quod dicant à multis audiuiſſe, ſed requiritur quod dicant à maiori parte populi, cum illud verbum multi, etiam de duobus verificari poſſit, deciſ.8.num.13.

Teſtes, vt probent famam debent declarare cauſam vnde ortum fama habuerit, vt ſic inſpici poſſit an fuerit vana vox populi, cui non eſt credendum, deciſione 13. numero 14.

Teſtes vt probent famam, debent nominare perſonas, à quibus audiuerint, etiam non interrogati, deciſione 13. num.17.

Teſtis vnicus non facit adminiculum maximè ſi ſit colonus, vel factor, deciſ.13. num.20.

Teſtes poſſunt hortari ad dicendam veritatem muneribus, & donis, deciſ.19. num.11.

Teſtis dicens vidiſſe aliquos ad inuicem contendere, & vnum ex eis admenaſſe arma contra aliquem, quem ſtatim vidit vulneratum non concludit neceſſario illum fuiſſe ab eo vulneratum, qui dicta arma verſus illum admenauit, deciſ.25. num.1.

Teſtis vnicus, quamuis idoneus non probat, deciſione 26. num.4.

Torturæ ſubijci quis non poteſt niſi conſtet de corpore delicti, deciſ.18. num.1.

Tortura purgat inditia, & præſumptiones delicti, deciſ.19. num.12.

Torqueri vt quis poſſit in ijs, quæ fiunt de nocte ſufficiunt leuiores probationes, deciſ.4. num.3.

Tortura non purgat indicia, & præſumptiones delicti quando infligitur perſona, quæ patitur plures exceptiones, deciſ.19 num.13.

Tortura licèt purget indicia, nihilominus, ſi contra torturatum adeſſent indicia indubitata, adhuc non debet ille qui ſuſtinuit torturam abſolui, ſed debet condemnari in pœnam extraordinariam, deciſ.19. num.15.

Triticum granum ſub ariſtis latens nouam ſpeciem non inducit, deciſ.29. num.27.

Turbatiua. Abſolutus à Iudice criminali à pœna turbationis poteſt condemnari ad deſiſtendum, deciſ.9. num.1. Contraria tamen opinio probatur verior, num.2.

Ad deſiſtendum à turbatione quis non poteſt condemnari vbi non conſtat de turbatione, deciſ.9. num.13. maximè ſi non fuit probatus dolus, num.14. quia.

Turbationis probatio non ſufficit niſi ſimul de dolo appareat, deciſ.9.num.14.

Turbare is non dicitur, qui iure permittente aliquid facit, & vtitur iure ſuo, deciſ.9.num.15.

à Turbatione quis excuſatur, quando habuit iuſtam, & rationabilem cauſam credendi, quod id, de quo imputatur, facere poterat iure permittente, deciſ.9. num.16.

in Turbationis indicio, vt quis abſoluatur à pœna criminali turbationis ſufficit, quod ſimpliciter alleget ſe eſſe in quaſi poſſeſſione tranſeundi per illum locum, abſque eo, quod iſtud probet, nam hac oppoſitione facta, non poteſt amplius quis criminaliter moleſtari, ſed ciuiliter inter partes agendum eſt, deciſ.9. num.17.

Varietas arguit falſitatem, deciſ.19. num.7.

Varietas articulorum excuſat ab expenſis, deciſ.29. num.32.

Velle, & nolle vbi eſt repoſitum in voluntate alterius contrahentis, ante declarationem ſuæ voluntatis non dicitur conſtare de contractu, deciſ.31. num.5.

Vendere quis non præſumitur habita fide de pretio abſque ſcriptura, maximè inter perſonas incognitas, & vbi conuentio continet plura, & diuerſa capita, deciſione 31. num.29.

Verba præcedentia ſtatuti recipiunt interpretationem à ſequentibus, deciſ.17. num.16.

Verba generalia ſæpiſſimè, & ex pluribus cauſis reſtringuntur, deciſ.13. num.17.

Verbum quodcunque eſt vniuerſale, & comprehendit quamcunque generalitatem, deciſ.13. num.4.

Verba æquiuoca declarantur ex ſequentibus claris, deciſ.17. num.18.

Verba clara omnem tollunt diſputationem, deciſ.13.num.8.

Verba generalia ſtatuti reſtringuntur à proœmio, & à ratione in eo expreſſa, deciſ.13. num.13.

Verbum poteſt vbi illi negatiua præponitur inducit neceſſitatem, deciſ.24.num.3. & reddit actum nullum ipſo iure, num.4. & importat formam, num.5.

Verba contumelioſa illata in virum, ſi principaliter tangant honorem vxoris, excuſant valdè vxorem ab offenſa per eam illata contra iniuriantem maritum, ſaltem ad effectum vt mitiori pœna puniatur, etiam ſi moderamen inculpatæ Tutelæ exceſſiſſet, deciſ.11. num.15.

Veritas melius per plures inuenitur, deciſ.9. num.6.

Via iter, & actus ad eundum ad aliquod prædium præſcribitur ſpatio 30. annorum, deciſ.9. num.12.

Vna pars ſtatuti aliam declarat, deciſ.17. num.15.

Vulnerans, ſeu occidens ex interuallo minantem ſibi mortem pœna ordinaria delicti non tenetur, dec.7.nu.5. & 9.

F I N I S.

DECISIONES CRIMINALES ROTÆ LVCENSIS.

AVTHORE OCTAVIANO ZVCCARO I. V. D. VRBINATENSE EIVSDEM ROTÆ AVDITORE.

De Anno 1617.

IN CAVSA SALVATORIS DE COMPVTO, ET LITIS Conſortium de eodem loco cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Statutum Lucenſ. 49. lib.4. diſponens, quod Fiſcus poſſit vſque ad ſententiam teſtes, ac probationes recipere, quomodo procedat?

SVMMARIVM.

Teſtis vnicus in criminalibus non probat, nu.1.

Teſtis non repetitus parte citata, vel præſente, perinde eſt, ac ſi non eſſet examinatus, nu.2.

Fiſcus poteſt quandocunque in toto proceſſu, & vſque ad ſententiam excluſiuè veritatem inquirere, & teſtes, ac probationes recipere, prout ſua diſcretioni videtur ex diſpoſitione ſtatuti Lucen. cap.49. lib.4. num.3.

Statutum Lucen.49. l.4. diſponens, quod fiſcus poſſit vſque ad ſententiam teſtes, ac probationes recipere intelligi debet ſecundum diſpoſitionem iuris, hoc eſt parte præſente vel citata, num.4.

Statutum in eo, in quo expreſsè non corrigit ius commune recipit interpretationem paſſiuam ab eo, num.5.

Procedi vbi poteſt extraordinarie, & iuris ſolemnitate ommiſſa, ſemper requiritur, quod parte præſente vel citata teſtes recipiantur, alias eorum depoſitio eſt nulla, num.6.

Citatio reſpicit defenſionem, num.7.

Defenſio eſt de iure naturali, & non poteſt per Principem tolli, num.8.

Monitio pro ſingulis diebus, & horis reſtringitur ad tempus probatorium, alias tamquam nimis vaga non arctat, num.9.

Teſtis repetitus à fiſco extra terminum non probat, niſi fuerit citata pars ad videndum illum repeti, num.10.

Duo, vel tres teſtes plenè probant, num.11.

Auxilium conſideratur dupliciter, aliud enim dicitur cooperatiuum, quod præſtatur tenendo perſonam offenſam, vel aliter impediendo, vt offenſus poſſit offenſionem euitare, nu.12.

Et aliud dicitur non cooperatiuum, & eſt illud, quod alio quocunque modo præſtatur offendenti, etiam per ſolam exiſtentiam cum armis factam perſona offendenti, num.13.

Prohibere potens delictum committi, & non prohibens extraordinaria pœna punitur, nu.14.

DECISIO PRIMA.

Dominus illuminatio mea.

DIXIMVS ſententiam D. Prætoris eſſe confirmandam in omnibus, & per omnia, præterquam in illa parte, in qua condemnauit dictũ Saluatorem in libris viginti, &c. occaſione caſuræ, in quo capite illam reuocauimus, & abſoluimus à dicta pœna dictũ Saluatorem, quia in Proceſſu de dicta caſura non conſtat, niſi per vnicum teſtem videlicet ſepti-
1 mum in ordine, qui tamquam vnicus in criminalibus non probat *Bald.conſ.364.nu.6.lib.3.*

Et licet Maria 6. teſtis hoc etiam deponat,

tamen, quia ipſa non fuit repetita citata parte, ſeu ſaltem illa præſente, perinde eſt, ac ſi non eſſet examinata, quia licèt fiſcus poſſit
3 quandocunque in toto proceſſu, vſque ad ſententiam excluſiuè veritatem inquirere, & teſtes, ac probationes recipere, prout ſuæ diſcretioni videbitur pro veritate inueniendà, vt di-
4 ſponitur *in c.49. l.4. ſtatutorum*. Tamen dictum Statutum debet intelligi ſecũdum diſpoſitionem iuris cõmunis, hoc eſt parte præſente
5 monita, vel citata, quia Statutum in eo, in quo expreſsè non corrigit ius commune recepit interpretationem paſſiuam ab eo, *l. 2. C. de noxalibus l. 1. §. lex Falcidia, vbi Bart. & Alex. ff. ad leg. Falcidiam. Bart. in l. omnes populi, ff. de iuſtitia, & iure. Rota Romana deciſ.* 724. *num.* 15. *&* 16. *par.* 1. *diuerſorum*.
6 Et meritò, quia vbi poteſt procedi extraordinariè, & iuris ſolemnitate ommiſſa, tamen ſemper requiritur, quod parte præſente, monita, vel citata teſtes ſint recepti, ac iurati, aliàs eorum depoſitio eſt nulla, *vt per Boſſ. de oppoſitione contra teſtes, num.* 4. *& Grammaticum deciſ.* 11. *nu.* 7. cùm enim citatio reſpiciat defen-
7 ſionem, & defenſio ſit de iure naturali non po-
8 teſt, nec per Principem tolli, *Bart. in extrauag. adreprimendum in ver. figura, de verbor. ſignif. l. de vno quoque, ff. de re iudic. l. ea qua, C. quomodo, & quando iudex. Grammat. dec.* 65. *Felin. in c. cum olim de re indicata. Rota deciſ.* 364. *&* 201. *in nouis*, vbi dicit, quod etiam Diabolus ſi eſſet in iudicio, debet audiri.

Nec aliquid facit illa monitio pro ſingulis
9 diebus, & horis, de qua in termino octo dierum aſſignato à D. Prætore ad probandum, quia reſtringitur ad terminũ probatorium, alias tamquam nimis vaga non arctaret, quia continet ſpeciem ſeruitutis. *Puteus deciſ.* 152. *lib.* 2. *&* 258. *lib.* 1. *Creſcent. deciſ.* 43. *lib.* 2. *Cotta deciſ.* 153. *quæ eſt* 10. *de dolo, & contumacia*.

Vnde cum in caſu noſtro dicta Maria fuerit repetita extra dictum terminum, ſi quidem fuerit repetita die 23. Martij, & terminus prædictus, cùm ſua prorogatione duraret ſolum per totam diem 19. eiuſdem menſis, & dictus terminus octo dierum fuerit notificatus die 7. Martij, & prorogatus ſolum per dies quatuor, certè ſatis apparet quod dicta Maria fuerit repetita extra terminum, & ſic debebat dictus Saluator citari ad videndum illam repeti,
10 aliàs quo ad eum habetur pro non repetita, cum potuerit probabiliter ignorare, an eſſet amplius repetenda, prout ita in puncto alias fuit deciſum in terminis huius ſtatuti per Lepidum *in ſua deciſ.* 135.

Confirmauimus autem in reliquis ſententiam d. D. Prætoris, quia dictus Saluator fuit rectè condemnatus in libras quinquaginta pro vulnere in capite Petri, cum ſanguine *iux. formam ſtatuti lib.* 4. *in cap.* 149. Et in libras duodecim, & bononenos decem pro quarto pluri iuxta formam decreti anni 1544. ex quo per
11 tres teſtes dictum vulnus probatur, *ad tex. in cap. in omni negotio, & cap. nobis de teſtibus l. iuſiurandi. ver. etiam ſi praclarè, C. de teſtibus, & l. vbi numerus, & ibi Bald. ff. eodem*.

Quo verò ad Sanctinum, Antonium, Nicolaum, & Meinum diximus pariter malè per ipſos appellatum, & benè per D. Prætorem iudicatum dum illos condemnauit in libras 41. 13. 4. pro quolibet, quia quando non potuiſſent condemnari tanquam auxiliatores in primo & ſecundo capite, cum duplex cõſideretur
12 auxilium *à ſtatuto lib.* 4. *cap.* 217. aliud nempè cooperatiuũ, quod præſtatur tenẽdo perſonam offenſam, vel aliter impediẽdo, vt offenſus poſſit offenſionem euitare, & aliud non cooperati-
13 uum, vt eſt illud, quod alio quocunque modo præſtatur offendenti, etiam per ſolam exiſtentiam cum armis factam perſonæ offendenti, *vt per Innocentium in cap. fin. de clerico percuſſore, & Baldum in l. ob hac, num.* 5. *ff. de his, qui notantur infamia, & in l. non ideò minus, num* 3. *C. de accuſat. cum aliis per Socinum conſ.* 188. *num.* 2. *ad finem, ver. aliquando in ipſo actu, & num.* 6. *& ſeq. lib.* 2. Tamen non potuerunt euitare dictam condemnationem ex eo, quia non prohibuerunt dictum Saluato-
14 rem committere tale delictum, cùm omnes eſſent armati, & potuiſſent abſque dubio illud prohibere, quo caſu licèt non debeant puniri eadem pœna, qua principalis, tamen extraordinaria pœna veniunt plectendi, prout optimè factum fuit à dicto D. Prætore, vt poſt alios, quos allegat tradit *Menochius de arbitrariis iudicum lib.* 2. *caſu* 355. *numero ſeptimo*.

Atque ex his ita fuit reſolutum.

Laus Deo, atque Deipara Virgini Mariæ.

Digitized by Google

IN CAVSA LAZARI PENTORARI cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Iudex an poſſit adhibere fidem teſtibus in caſu à ſtatuto prohibito, vbi agitur ſola facti veritate inſpecta? Et hac occaſione declaratur Statutum Lucen. cap. 46. lib. 4.

SVMMARIVM.

Duo teſtes plenè probant, num.1.

Teſtis vnicus.& ſingularis non probat, num.2.

Teſtis depoſitio debet cõcludere per neceſſe alias non probat, num.3.

Duo probationes diuerſi generis coniunguntur, quando tendunt ad eundem finem, num.4.

Duo probationes diuerſi generis coniunguntur in ciuilibus,non autem in criminalibus,nu.5.

In criminalibus probationes debent eſſe apertiſſima, num.6.

Etiam vbi de crimine ciuiliter ageretur, nu.7.

Teſtis deponens per verba non concludentia ad ſummum facere poſſet indicium, num.8.

Indicium vt dicatur probatum, debent de illo deponere duo teſtes, num.9.

Dua ſemiplena probationes imperfecta in ſua ſpecie non coniunguntur, num.10.

Forenſis non poteſt recipi in teſtem contra Ciuem Lucenſem,niſi in proceſſu appareat probatum quod ſit incola Luca, & ſi recipitur abſque eo,quod ſit probata talis qualitas eius depoſitio eſt nulla, num 11.

Probationes vbi non ſunt valida non poſſunt coniungi, num.12.

Teſtis, qui non poteſt examinari, ſi reperiatur examinatus non facit indicium,num.13.

Notario non creditur de his, in quibus debet interuenire cognitio,& examinatio, num.14.

Ad effectum vt quis poſſit iudicari incola alicuius Ciuitatis requiritur cognitio, & examinatio teſtium, num.15.

Sententia fundata in probationibus à Statuto reprobatis non ſolum eſt nulla ex defectu probationis, ſed eſt ipſo iure nulla, num.16.

Facti ſola veritate inſpecta, vbi agitur non poteſt Iudex fidem adhibere teſtibus in caſu à Statuto prohibito, & inhabiles, habilitare contra expreſſam Statuti diſpoſitionem, n.17.

Ex Iudicis conſcientia, & arbitrio non debent Statuta Ciuitatum reddi eluſoria, num.18.

Iudex non poteſt decidere contra caſum Statuti, etiam ſi caſus ille rigorem contineret, nu.19.

Prouocatio licèt non excuſet in totũ, tamen operatur quod prouocatus mitius puniatur, n.20.

DECISIO II.

Dominus illuminatio mea.

IN cauſa Lazari Pentorari cũ Fiſco iudicauimus ſententiam D. Prætoris eſſe reformandam in illa parte, in qua cõdemnauit dictum Lazarum in libras 201. ſol. 17. & denarios ſex, pro percuſſionibus illatis ab eo Eliſabeth, & illius proiectione in terram, facta duplicatione reſpectu temporis, & computato quarto pluri, & reducendam ſolum ad libras 50. bonæ monetæ pro ſimplici proiectione dictæ Eliſabeth in terram, facta duplicatione reſpectu temporis, & computato quarto pluri, quia in proceſſu non conſtat niſi de ſimplici proiectione in terram, pro qua ſtatutum *in cap. 142. in fine lib. 4.* non imponit niſi libras quindecim cum tertio pluri, & facta duplicatione reſpectu temporis, & computato quarto pluri aſcendunt ſolum ad libras quinquaginta.

Nec obſtat, quod de percuſſionibus depo-
nãt duo teſtes, videlicet Ioannes Baptiſta An-
ſelmi ſecundus teſtis, & Margarita Vxor Ba-
ſtiani decima teſtis, & quod duo teſtes plenè
1 probent *cap. in omni negotio de teſtibus*, quia
hoc non verificatur in facto, nam de percuſſio-
nibus illatis á Lazaro Eliſabeth, non deponit
niſi Margarita, quæ tanquam vnica, & ſingu-
2 laris non probat. *ad Baldum conſ. 346. num. 6.
lib. 3.*

Nec obſtat, quod Ioannes Baptiſta Anſel-
mi ſecundus teſtis videatur etiam ipſe hoc de-
ponere, dum dicit, *Che Lazaro tirò alla volta di
detta Donna, e biſogna dire, cogli eſſe*, quia
eius depoſitio non concludit percuſſionem
3 cum dicta per eum poſſint eſſe, vel non eſſe.
*Calcaneus conſ. 121. num. 70. Caputaq. deciſ.
275. num. 4. par. 3.*

Nec dicatur, quod ſi depoſitio dicti Ioan. Baptiſtæ Anſelmi conſiderata de per ſe non probet, tamen coniuncta cum depoſitione Margaritæ ſatis probat, cum duo probationes diuerſi generis coniungantur, quando

Digitized by Google

tendunt ad eumdem finem, *Gloſ. in l. 2. in principio in ver. legitimis, ff. de excuſat. tutorum,*
5 quia prædicta procedunt in Ciuilibus, non autem in criminalibus, in quibus probationes non coniunguntur, *Gloſ. in cap. veniens, el primo de teſtibus in ver. illorum in medio, ibi,* ſed
6 non eſt verum, quia in criminalibus apertiſſimæ debent eſſe probationes, *Baldus in cap. 1. ſub num. 3. ver. Dynus dicit, de appellat. & ibi*
7 *Dec. num. 65. verſ. ſecus eſt in criminalibus. Butrius in cap. veniens, el primo, num. 10. de teſtibus,* vbi dicit hoc procedere etiam ſi de crimine ciuiliter ageretur.

Vltra quod nec dictæ probationes poſſunt
8 coniungi ex duobus. Primò, quia non ſunt in ſua ſpecie perfectæ, nam cum dictus Ioannes Baptiſta Anſelmi deponat per verba, quæ non concludunt, vt diximus, ſed tantum facere poſſet aliquod inditium, & dictum indicium non ſit probatum, cum ad probandum indi-
9 tium requirantur ſaltem duo teſtes, *vt not. in l. fin. C. familiæ herciſcunda, & in l. cum proponeretur, ff. de legat. 2.* Adhuc depoſitio dicti Ioannis Baptiſtæ coniuncta cum illa Margaritæ, nec aliquid operari poteſt, cum duę ſemi-
10 plenæ probationes imperfectæ in ſua ſpecie non coniunguntur, *Bald. in l. ſi quis ex argentarijs, §. 2. ver. ſed ſi poneremus, num. 4. ff. de edendo. Alex. conſ. 13. num. 19. lib. 1. Abb. in cap. cum cauſam, num. 2. ver. idem videtur, & ibi Felin. num. 10. & 11. de probat. cum alijs per Gabrielem de probationibus concluſ. 1. num. 33. verſic. ſecundo limita principaliter.*

Secundò depoſitio dicti Ioannis Baptiſtæ nõ poterat coniungi cum illa Margaritæ, quia
11 dictus Ioannes Baptiſta erat Forenſis, & non apparet in proceſſu probatum, quod eſſet Incola huius Ciuitatis, prout requirebatur ad effectum, vt recipi potuiſſet in teſtem contra Ciuem Lucenſem, prout diſponitur *in ſtatuto cap. 46. lib. 4. verſ. item præcipimus,* & conſequenter ſtante dicto ſtatuto eius depoſitio fuit nulla, & inualida, & vbi probationes non ſunt
12 validæ non poſſunt coniungi. *Caputaq. deciſ. 278. in fine par. 3.*

Imò amplius dicimus, quod cum per fiſcum non fuerit probatum, quod dictus Ioãnes Baptiſta eſſet incola huius Ciuitatis, & ſtante dicto ſtatuto non potuiſſet examinari, examina-
13 tus non fecit aliquod inditium. *Bart. in l. 1. §. cum quis, ff. de quæſt. Bald. in l. ſeruos, & ibi Salicet. C. de teſtibus, & in l. etiam matris in fine, ff. de probat. Natta conſ. 394. num. 4. lib. 2. cum alijs per Grammaticum in ſuis conſilijs criminalibus conſ. 3. num. 9.*

Nec obſtat, quod Notarius aſſerat dictum
14 Ioannem Baptiſtam eſſe incolam Lucæ, quia Notario non creditur de ijs, in quibus debet interuenire cognitio, & examinatio, prout requiritur ad effectum, vt quis poſſit iudicari incola *ad tradita per Aymonem conſ. 88. num. 22.*

Et conſequenter cum non fuerit probatum d. Ioannem Baptiſtam eſſe incolam Lucæ iuxta formam dicti ſtatuti, dicta ſententia non ſo-
15 lum fuit nulla ex defectu probationis, ſed tam
16 quam fundata in probationibus à ſtatuto reprobatis fuit in dicta parte ipſo iure nulla. *Matthesilan. in l. ſi cũ inter, C. quando prouocare non eſt neceſſe. Io. Andr. in c. quoniam contra, de probationib. in nouellis, & in puncto huius ſtatuti Lucen. tradit Magonius deciſ. 39. num. 16.*

Nec obſtat, quod ex forma ſtatutorum procedatur ſola facti veritate inſpecta, quia
17 non propterea poteſt Iudex fidem adhibere teſtibus in caſu a ſtatuto prohibito, & inhabiles habilitare contra expreſſam ſtatuti prohibitionem, nã vt inquit *Bald. in l. vt vim col. 1.*
18 *ff. de iuſtitia & iure,* Ex Iudicis conſcientia, & arbitrio non debent ſtatuta Ciuitatum reddi eluſoria, & ſequitur *Natta conſ. 143. num. 9.*
19 vbi propterea dicit; quod non poteſt Iudex contra caſum ſtatuti decidere, etiam ſi caſus ille rigorem contineret,

Confirmauimus autem ſententiam D. Prætoris in illa parte, in qua D. Prętor condemnauit dictum Lazarum in 20. libras bonæ monetæ pœna ſic arbitrata, ob rixam, quam dictus Lazarus habuit cum Ioanne Lucchesio, quia licet in proceſſu pleniſſimè conſtet, quod Lazarus percuſſerit dictum Ioannem cum pugnis, nihilominus apparet etiam ex eodem proceſſu, quod dictus Lazarus fuerit à dicto Ioanne prouocatus, nam cum ibi acceſſiſſet ad ſedandam rixam, quam dictus Ioannes habebar cum quodam Thoma, dictus Ioannes proiecit in eius faciem lutum, & terram, vt deponunt ſecundus, quartus, & ſextus Teſtis fiſci, quæ prouocatio, licèt non excuſet in totum dictum Lazarum, tamen certum eſt, quod debebat mitius puniri, prout factum fuit à dicto Domino Prætore, qui licèt potuiſſet dictum Lazarum condemnare in pœnam librarum 123. pro duobus pugnis, prout fecit alios rixãtes iuxta formam ſtatutorum huius Ciuitatis, facta duplicatione reſpectu temporis, & computato quarto pluri, nihilominus

illum

illum non condemnauit, niſi in 20. libras pœna ſic arbitrata, ſtante dicta prouocatione *ad tradita per Boer. conſ. 4. num. 29. poſt Felinum in cap. dilecti filij, num. 12. ver. ſecunda declaratio eſt, de except. cum alijs per Petrum Caballum in ſuis reſolutionibus criminalibus caſu 154. num. 19. & ante eum dixit Clarus in ſua pract. crimin. §. fin. quæſt. 6. ver. nunc quæro,* vbi, quod ita ſeruatum fuit in quodam homicida, qui verbis iniurioſis fuerat prouocatus.

Atque ex his fuit ita reſolutum.

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA IACOBI FRANCESCHINI de Sancto Martino ad colles cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Querelator an debeat præſtare cautionem de proſequenda, & probanda accuſatione?

SVMMARIVM.

Quærelator ex diſpoſitione ſtatuti Lucen. c. 15. l. 4. debet præſtare cautionem de proſequenda, & probanda accuſatione, num. 1.

Forma non ſeruata actus eſt nullus, num. 2.

Nullatenus dictio appoſita in ſtatuto importat nullitatem actus ipſo iure, num. 3.

Lex, quæ vtitur hoc verbo nullatenus, videtur tacitè decretum irritans inſerere, videlicet quod ſi ſecus fiat actus ſit ipſo iure nullus, num. 4.

Nullatenus dictio, quoad actus nullitatem tantum importat, quantum clauſula decreti irritantis, contra quod Iudex etiam ſi velit non poteſt diſpenſare, num. 5.

Teſtis examinatus extra terminum, tamquam nulliter examinatus non probat, numero 6.

Teſtes examinati abſque eo, quod fuerint interrogati ſuper interrogatorijs datis à parte, & à Iudice admiſſis non probant, numero 7.

DECISIO III.

Dominus illuminatio mea.

SENTENTIAM latam à Domino Prætore cõtra Iacobum Frãceſchini de Sancto Mattino ad Colles reuocauimus, & tam eius filios, & hæredes, quam fideiuſſorem, à dicta ſententia, & inquiſitione contra dictum Iacobum formata abſoluimus ex infraſcriptis.

Primò, quia fiſcus, ſuper querela contrà dictum Iacobum porrecta ab Andrea Antonij
Pierij de Gragnano non poterat ſe fundare,
ex quo dictus Andreas quærelatur non præ-
1 ſtitit fideiuſſionem, cum cautione de proſe-
quenda, & probanda accuſatione *iuxta diſpo-
ſitionem ſtatuterum cap. 15. lib. 4.* & forma
2 non ſeruata actus eſt nullus *cap. cum dilecta,
vbi Felinus, num 6. de reſcriptis, & cap. Piſanis
de reſtitut. ſpoliat. vbi Gloſ. in ver. irritum.*
Maximè cum dictum ſtatutum loquatur per
3 verbum nullatenus admittatur, quod impor-
tat nullitatem actus ipſo iure ſi ſecus fiat, *Gloſ.
in Clem. 1. in ver. nullatenus de ſequeſtr. poſſeſſ.
& fruct. per quam Gloſ. dicunt ibi Imola col. 3.
4 & alij,* quod Lex quæ vtitur hoc verbo nulla-
tenus videtur tacitè decretum irritans inſere-
re, videlicet, quod ſi ſecus fiat, actus ſit ipſo iu-
re nullus; & ſequitur *Felinus in cap. ex parte,
el. 2. colum. penultima, verſic. quintus caſus
de conſtitut.* vbi apertè dixit quod dictio.
5 Nullatenus, quoad actus nullitatem tantũ im-
portat, quantũ clauſula decreti irritãtis, contra
quod Iudex etiam ſi vellet, non poſſet diſpen-
ſare. *Ioan. de Anania in c. quia fruſtra in 3. co-
lumna de vſuris, poſt alios, quos refert, & ſequi-
tur Iaſ. in l. fin. colum. 4. num. 25. ff. de ferijs.*

Secundò, quia Teſtes examinati pro parte
fiſci non probant, & quod attinet ad Iacobum
Magiſtri Silueſtri, qui eſt primus in ordine
non probat, quia fuit nulliter examinatus, ex
quo fuit examinatus longè poſt terminũ octo
dierum aſſignatum ad probandum, cum D.
Prætor ſub die 7. Iulij aſſignauerit dictum ter-
minum octo dierum ad probandum, & dictus
teſtis fuerit examinatus ſub die 22. eiuſdem
6 menſis, & teſtis examinatus extra terminum,
tamquam nulliter examinatus non probat,
*Bartolus in l. Mancipiorum, num. 5. de optio-
ne legata, Rota Romana deciſione 30. in nouis.*

Lanfrancus in cap. quoniam contra, num, 12. de probat. cum alijs per Felinum in cap. licet cauſam, num. 18. pariter de probationibus. .

Quod verò ſpectat ad alios tres teſtes, &
iſti pariter non probant, quia fuerunt exa-
minati abſque eo, quod fuerint interrogati
ſuper Interrogatorijs datis à parte, & à Iudice
7 admiſſis, quo caſu teſtes nihil probant. *Ho-
ſtienſ. in cap. cum cauſam, vbi Ioan, Andr. num.
12. de teſtibus. Milis in ver. teſtis, num. 28.
cum alijs per Nellum in tract. de teſtibus, nu. 99.*

Et licet plura alia dici poſſent contra dictos teſtes, tamen quia prædicta ſufficiunt pro abſolutione dictorum hæredum, & fideiuſſoris, ideo ſuper cæteris conſultò non inſiſtimus.

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA HIERONYMI THOMEI cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Ad condemnandum in pœnam extraordinariam, an ſufficiant inditia?

SVMMARIVM.

Teſtes qui dicunt vidiſſe de nocte redduntur ſuſpecti ſi non reddant cauſam viſus, num. 1.
Ad condemnandum in pœnam extraordinariam requiruntur inditia indubitata, num. 2.
Ad effectum torquendi in ijs, quæ fiunt de nocte probationes leuiores ſufficiunt, num. 3.

DECISIO IV.

Dominus illuminatio mea.

IN cauſa Recurſus interpoſiti à Hieronymo Thomeo à quadam ſentẽtia cõdemnatoria lata per D. Prætorem contra ipſum ad fauorem fiſci, in qua D. Thomeus fuit, pœna ſic arbitrata condemnatus in libras centum, & ad exulandum à Ciuitate, & Territorio Lucenſe per annum, reuocauimus dictam ſententiam D. Prætoris, & pronũciauimus cõtra dictũ Thomeum extitiſſe, & extare inditia ad torturam, quia cum contra dictum Thomeum imputatum, & inquiſitum, quod de nocte percuſſerit D. Felicem Contium vnico vulnere, non adſunt alia inditia, niſi quod dictus Hieronymus habuerit quædam verba altercatoria contra dictũ D. Felicem occaſione nonnullorum com putorum vertentium inter ipſos, quæ computa antequam dictus Felix eſſet vulneratus, fuerunt inter eos ſolidata, nec non depoſitiones duorũ teſtium, videlicet Bartholomæi, & Nigi, qui licet deponant vidiſſe quendam, quem cognoſcebant de viſu, & audiuerant vocari Hieronymum Thomeum propè locum, in quo inuenerunt dictum Felicem vulneratum, qui ponebat gladium ſub pallio, & loquebatur cum quodam alio habitu longo indutus de vulnere per ipſum d. Felici illato, Tamen ſatis patet, quod ex dictis inditijs non poterat procedi ad condemnationem, cum in dictis teſtibus paruũ ne dicam nullum poſſit fieri fundamentum, cum deponant vidiſſe de nocte, de quo tempore erat obſcurum, cum Luna nõ luceret, vt apparet ex depoſitione duorum teſtium, de quibus in proceſſu nec conſtet, quod
1 ibi c ſſet aliquod lumen accẽſum, quo caſu eo-
rum depoſitio redditur valdè ſuſpecta *ad tra-
dita per Oldradum in l. ſi cum exceptione,* §. *in
hac, ff. quod metus cauſa. Alex. conſ 99. nu. 5.
lib. 4. & Dec. conſ. 163. nu. 3. cum alijs per Boſ-
ſium in tit. de inditijs, n. 172. & Clarum in ſua
praxi,* §. *finali quæſt. 21. ver. Sed quid ſi teſtis
non viderit,* vbi dicunt, quod Teſtes, qui dicũt
vidiſſe de nocte nullam fidem faciunt, & à ſe
ipſis naturaliter reprobantur, niſi dicant, quod
Luna lucebat, vel lumen erat accenſum, &
conſequenter cum ex iſtis inditijs non poſſet
deueniri ad huiuſmodi cõdemnationem, cum
2 ad condemnandum in pœnam extraordina-
riam, requirantur inditia indubitata, & clara
qualia non ſunt iſta, *Menoch. conſ. 82. num.
243. Surd. conſ. 133. à nu. 86. vſque ad finem.
Hondedeus conſ. 106. num. 64. lib. 2. cum alijs
per Farinacium de Reo confeſſo, & conuicto
quæſt. 86. num. 3. 5. 11. & 33.* Meritò, dictam
ſententiam reuocauimus, & inditia ad tortu-
ram extitiſſe, & extare iudicauimus, cum ad
effectum torquendi in ijs, quæ fiunt de nocte
3 probationes leuiores ſufficiant, *Alexander
conſilio 24. num. 8. lib. 2. & conſ. 136. in prin-
cipio lib. 5.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN

Digitized by Google

IN CAVSA D. LVCENTII Florentini cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

A pœnis arbitrio Iudicis imponendis, & in omni caſu, in quo Iudex habet arbitrium à lege, à ſtatuto, vel ab homine, an liceat appellare?

SVMMARIVM.

Praeceptum de non offendendo factum vltrà pœnas comminatas à ſtatuto, dicitur exceſſiuum, & rigoroſum, num. 1.

Iudices, & Poteſtates noſtri temporis nullam iuriſdictionem habent, niſi eam, quæ ſibi à ſtatutis conceditur, num. 2.

In arbitrarijs non datur recurſus, num. 3.

A pœnis arbitrio Iudicis imponendis, & in omni caſu, in quo Iudex habet arbitrium à lege à ſtatuto, ſiue ab homine, ſi quis ex tali arbitrio ſentit ſe grauatum; poteſt a tali arbitrio appellare, num. 4.

In arbitrarijs ſi non poſſet appellari eſſet Iudicibus aperta via ferendi ſententias iniquas, num. 5.

Opinio illa, quæ ſe habet in arbitrarijs non dari appellationem non procedit in criminalibus, num. 6.

DECISIO V.

Dominus illuminatio mea.

HABITO recurſu per D. Lucentium Florentinum ad Rotam, à quadam arbitraria condemnatione contra eum lata à Domino Prętore, de libris centum ad fauorem fiſci. Duximus dictam ſententiam reformandam, & dictũ D. Lucentium ſolum in libris quinquaginta bonæ monetæ condemnandum, Quia ſtante leuitate delicti, & inditiorum, cum teſtes patiantur plures exceptiones, & ſatis poſſit dubitari de validitate præcepti de non offendendo facti d. D. Lu-
1 centio, cùm non fuerit factum ſub comminatione pœnarum in ſtatuto contentarum, &
2 Iudices & Poteſtates noſtri temporis nullam habeant iuriſdictionem, niſi eam, quæ ſibi à ſtatutis conceditur, *Bald. in auth. cauſa col. 1. C. de ſacroſ. Eccleſijs. Purpuratus in l. 1. num. 226. ff. de officio eius, vbi Cagnol. num. 12. cum alijs per Romanum conſ. 501. num. 9.* certè arbitrium dicti D. Prætoris nobis viſum fuit nimis rigoroſum, & exceſſiuum, & ideò illud placuit reducere ad libras quinquaginta tantum bonæ monetæ.

Nec obſtare putauimus, quod in Arbitra-
3 rijs non detur recurſus, quia quod immò, ne dum in pœnis arbitrio Iudicis imponendis, de quibus modò agimus, ſed etiam in omni caſu, in quo Iudex habet arbitrium à lege, à ſtatuto, vel ab homine, ſi quis ex eius ſententia ſe
4 grauatum ſenſerit, quod poſſit ab ea appellare verius exiſtimatur, *vt patet ex Gloſa in cap. ſuper his in ver. arbitrium, vbi Felinus latè de accuſat. Gloſ. in l. ſi qua pœna, in gloſ. vltima, ff. de regul. iuris. item ex Gloſa in cap. Romana, §. quod ſi obijciatur in ver. minus legitima, de appellat. in 6. Ripa in l. ſi inſulam, num. 36. ff. de verb. oblig. Marſilius in l. quæſtioni, num. 67. ff. de quæſtionibus. Couar. variar. reſolut. lib. 2. cap. 12. num. 5. verſic. ſecundo aduerſus Bartolum. Gomeſ. var. reſolut. tomo 3. tit. de delictis cap. 1. num. 63. vbi de communi cum alijs per Farinaceum de delictis, & pœnis quæſtione 17. num. 28.* vbi dicit hoc procedere ſumma ra-
5 tione, nam ſi in arbitrarijs appellari non poſſet, eſſet aperta iudicibus via ferendi ſententias iniquas *contra l. primam, C. de appellat. quod non eſt dicendum.*

Et magis in puncto, quod illa opinio, quæ
6 ſe habet, in Arbitrarijs non dari appellationem, non procedat in criminalibus, tradit *Baldus in l. 1. numero 3. verſic. ſed pone per ſtatutum, C. de rebus creditis, & in l. vnica, C. de his quæ pœna nomine, & Curtium ſeniorem in l. admonendi, numero 379. ff. de iureiurando. Marſilius in dicta l. quæſtioni, num. 64. ff. de quæſt. Alexander conſilio 166. num. 14. lib. 3. Felinus in cap. ſuper his, numero 9. de accuſat. Boerius deciſione 284. numero 28. prope finem. Cornous conſilio 188. numero 5. lib. 3. Maſcardus de probationibus lib. 2. concluſione 696. num. 9. Menochius de arbitrarijs quæſtione 70. num. 16. & 17. lib. 1. cum alijs per Farinaceium de delictis, & pœnis quæſt. 17. num. 31.*

Laus Deo atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA SEBASTIANI Carbocci de Antracolle cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Arma deferre per Ciuitatem in diſceſſu, an liceat?

SVMMARIVM.

Arma poſſunt deferri per Ciuitatem, quando quis eſt in diſceſſu, & publicè illa defert, num. 1.

Legis, & Decreti natura eſt futuris dare formam, non autem præterita reſpicere, numero 2.

Quod non reperitur prohibitum ſtare non prohibetur, num. 3.

Pœna non irrogatur vbi non adeſt delictum, num. 4.

DECISIO VI.

Dominus illuminatio mea.

SEBASTIANVM Cæſaris Garbocci de Antraccole cōdemnatum a D. Prætore in libris centum bonæ monetæ, & ad permanendum in carceribus Saxi per quadraginta dies, ex quo fuit ſub die 10. Septembris proximè præterriti captus Lucæ, cum medio enſe, prævia reuocatione dictæ ſententiæ condemnatoriæ, abſoluendum eſſe exiſtimauimus, quia cum in proceſſu plenè conſtaret, quod de tempore, quo dictus Sebaſtianus fuit captus cum dicto medio enſe erat in itinere verſus portam Bargi, ex qua à Ciuitate diſcedere debebat, & illum publicè deferebat, ſatis va-
1 luit dictum medium enſem, per modum tranſeundi, per Ciuitatem deferre, cum adhuc non eſſet publicatum bannum, quo Ruſticis, qui ad Ciuitatem pro eorum negotijs accedunt, prohibetur Arma per Ciuitatem deferre, ſi quidem dictum bannum fuit publicatum ſub die 16. Septembris, & ſic per ſex dies poſt ſequutam capturam dicti Sebaſtiani, cum ipſe fuerit
2 captus ſub die 10. eiuſdem Menſis. Nam cum leges, & decreta futuris dent formam, non autem præterita reſpiciant. *l. leges, C. de legibus, & l. per diuerſas, §. fin. ff. mandati*, & in puncto bannimentorum fuit dictum in vna Romana octo Zeuarum 20. Iunij 1597. coram Illuſtriſſimo Lancellotto, non poteſt dubitari, quin ante dictum bannum liceret Ruſticis, qui ad Ciuitatem pro eorum negotijs accedebant, Arma per Ciuitatem deferre, quia
3 quod non reperitur prohibitum ſtare non prohibetur *l. præcipimus, C. de appellat.* & conſequenter dictus Sebaſtianus in nullam pœnam condemnari poterat, cum pœna non irroge-
4 tur, vbi non adeſt delictum, *l. ſancimus, ff. de pœnis, & l. grauis, C. de adulterijs.*

Et prædicta eo magis in caſu noſtro procedere putauimus, quia dictus Sebaſtianus eſt deſcriptus in rolo Militiæ, prout nobis conſtitit ex fide Cancellarij, de qua in proceſſu.

Atque ex his fuit a prædicta condemnatione abſolutus.

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA SER. POMPEI Morgantis, & Frediani Puccini cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Vulnerans, ſeu occidens minantem ſibi mortem ex interuallo, an ſit plectendus pœna ordinaria?

SVMMARIVM.

Fortis & adeo conſtantis animi nemo reperitur, qui propoſito ſibi mortis terrore non exanimetur, num. 1.

Pœna ordinaria eſt temperanda, vbi quis delinquit metu, & dolore mortis, num. 2.

Etiam ſi motus iuſto dolore ex propoſito, & deliberatè delinquat, num. 3.

Et etiam ſi ex internallo delictum ſequatur, num. 4.

Vulnerans ſeu occidens ex internallo minantem ſibi mortem, pœna ordinaria delicti non tenetur, num. 5.

Minæ præcedentes excuſant offendentem à pœna ordinaria delicti, quando incontinenti, & in ipſo actu minarum, offenſa infertur, non autem quando ex internallo, num. 6.

Minæ præcedentes excuſant offendentem à pœ-

na

na ordinaria delicti, quando incontinenti, & in ipſo actu minarum, offenſa infertur, non autem quando ex interuallo, num.6.

Minæ præcedentes excuſant offendentem à pæna ordinaria delicti, etiam ſi offenſa fuerit illata ex interuallo, ſecundum magis communem opinionem, num.7.

Offenſus, ſeu prouocatus ex percuſſione per eum offendenti, & prouocanti illata non poteſt excuſari à pæna ordinaria delicti, ſi offendentem ex interuallo vulneret, num.8.

Vulnerans, ſeu occidens minantem ſibi mortem ex interuallo pæna ordinaria delicti non tenetur ſecundum veriorem opinionem, nu.9.

Deciſiones in terminis ſunt attendendæ, & non argumenta, & inductiones, num.10.

Offenſus vbi ex interuallo offendentem offendit non ex alio punitur pæna ordinaria, niſi ex eo, quia præſumitur aggreſſor, & prouocator, & quod habuerit animum ſe vindicandi, num.11.

Minans mortem præſumitur aggreſſor, & prouocator, num.12.

Minatus de morte ſemper dubitare debet ne occidatur, & ita continuo manet in periculo vitæ, num.13.

Ex diuerſis non fit illatio, num.14.

Incontinenti dicitur quis delinquere non ſolum ſi in eadem rixa delinquat, ſed etiam ſi paulo poſt, dummodo ira calor perduret, num.15.

Delictum per iram commiſſum dicitur commiſſum incontinenti, licèt ſit commiſſum intra 30. dies, num.16.

Iracundiæ calor per quantum tempus duret remittitur arbitrio Iudicis, num.17.

Mandatarius criminis licèt non probet contra mandantem, tamen narrata per ipſum præbent iuſtam cauſam credendi rem ita ſe habere, vbi agitur de re grauiſſima, num.18.

Iuſta credulitas offendentis ſufficit ad excludendum dolum à delicto poſtea commiſſo, & ita ad eum liberandum à pæna ordinaria, num.19.

Confeſſio qualificata non poteſt diuidi, vbi dicit quis vulneraſſe aliquem, quia prius ſciebat, quod ille minatus erat velle eum occidere, num.20.

Narratis ex pluribus ad conſequendum aliquem effectum, vbi iuſtificantur aliqua, ex quibus poſſis reſultare effectum narratorum, tunc diſpoſitio ſuſtinetur, num.21.

Cautione de non offendendo mediante quis poteſt ſe liberare ab imminenti periculo mortis, num.22.

Cautioni ſola de non offendendo ſe committere fragile eſt remedium pro effugiendo vitæ periculo, num.23.

Cautionis de non offendendo petitione animus inimici magis irritatur, num.24.

Denunciatio Chirurgi, & aliorum, quæ fit ad effectum dandi ſcientiam curiæ de delictis, licet deſeruiat ad inquirendum non tamen aliquam probationem, vel indicium contra aſſertum delinquentem conſtituit, num.25.

Chirurgi aſſertio vbi non eſt iurata, nec in forma teſtis facta non probat, num.26.

Deponens in criminalibus abſque iuramento tenetur pæna falſi, num.27.

Teſtis vnicus, & ſingularis non probat, nu.28.

Teſtis deponens dubitatiuè non probat, num.29.

Probationes debent eſſe concludentes, & certæ, num.30.

Probationes in criminalibus debent eſſe luce meridiana clariores, num.31.

Teſtis dubitatiuè loquens, oſtendit ignorare ea de quibus loquitur, num.32.

Dubius, & ignorans æquiparantur, num.33.

Reus negans commiſiſſe aliquod delictum, ſi de eo non conuincatur abſoluitur, num.34.

Teſtes inducti à fiſco extra terminum probatorium, & parte non monita, neque citata non probant, num.35.

Fiſcus ex diſpoſitione ſtatuti Lucen.39. lib.4. poteſt quandocunque vſque ad ſententiam teſtes inducere, & probationes facere, nu.36. Intellige verum parte monita, vel citata, num.37.

Teſtes fiſci non probant, vbi non fuerunt repetiti ſuper interrogatorijs à parte exhibitis, num.38.

Proceſſus remanet nullus quando poſt depoſitionem teſtium non fuit reaſſignatus terminus ad faciendum ſuas defenſiones, num.39.

In confeſſis nulla aliæ ſunt partes Iudicis, niſi in condemnando, num.40.

DECISIO VII.

Dominus illuminatio mea.

SER Pompeus Morgàti, & Fredianus Puccini confeſſi fuerunt vulneraſſe ſpectabilem Vincentium Diuerſi, prout ſequitur. Videlicet Ser Pompeus confeſſus fuit illum vulneraſſe duobus vulneribus in digito

Digitized by Google

digito manus dexteræ, & in ſpatula, Et hoc in ſuis conſtitutis dixit feciſſe, quia dictus Spectabilis Vincentius illum aggreſſus fuit, & quia ſciebat, quod idem Spectabilis Vincentius machinabatur contra eius vitam, & dictus Fredianus Puccini faſſus fuit illum percuſſiſſe vnica tantum percuſſione, abſque ſanguinis effuſione.

Et cum dictus Ser Pompeus fuiſſet pro dictis vulneribus illatis dicto Spectabili Vincentio condemnatus in libras 281. & ſol. 5. bonæ monetæ, admiſſo beneficio confeſſionis, & computato quarto pluri, nec non in alias libras 125. bonæ monetæ, pro prætenſa debilitatione, ſeu vt vulgo dicitur ſtroppiatura digiti pollicis.

Et Fredianus pro dicta percuſſione fuiſſet condemnatus in libras 46. & ſolidos 17. & denarios 6. bonæ monetæ pariter computato quarto pluri.

Ambo à prædictis condemnationibus appellarunt ad Rotam, coram qua, cum dubitaretur an dicta ſententia condemnatoria eſſet confirmanda, vel reformanda, ſeu infirmãda.

Votum meum tale fuit, quod ſententia D. Prætoris in ea parte, in qua condemnauit dictum Ser Pompeum in libras 281. & ſolidos 5. bonæ monetæ pro dictis duobus vulneribus illatis Spectabili Vincentio, quæ erat pœna ordinaria Statuti eſſet reformanda, in libras 150.

In ea vero parte in qua eumdem Ser Pompeum condemnauit in libras 125. pro prætenſa ſtroppiatura digiti pollicis eſſet reuocanda, & dictus Ser Pompeus abſoluendus reſeruato iure fiſco iterum & melius agendi pro prætenſa debilitatione, ſeu ſtroppiatura.

In ea verò parte, in qua condemnauit Fredianum Puccini in libras 46. ſolid. 17. & denarios 6. bonæ monetæ pro dicta vnica percuſſione dicto Spectabili Vincentio illata eſſet confirmanda, prout confirmaui, reformaui, & infirmaui.

Nam quod attinet ad pœnam ordinariam librarum 281. & ſolid. 5. impoſitam dicto Ser Pompeo pro dictis duobus vulneribus ab eo illatis Spectabili Vincentio duxi illam non poſſe in præſenti caſu ei imponi, ſed bene dictum Ser Pompeum plectendum eſſe pęna extraordinaria, quam arbitratus fui eſſe librarum 150. tantum bonæ monetæ, quia cum in proceſſu conſtet, quod dictus Ser Pompeus antequam vulneraſſet dictum Spectabilem Vincentium ſciret eumdem Spect. Vincentium requiſiuiſſe quemdam Lelium, vt ipſum Ser Pompeum occideret ſicut dictus Lelius confeſſus fuit, & in Tortura pluries reiterata confirmauit, non poteſt dubitari quin dictus Ser Pompeus de tempore, quo vulnerauit dictum
1 Spect. Vincentium, eſſet in iuſtiſſimo metu, & dolore, cum nemo ita fortis, & adeo conſtantis animi reperiatur, vt propoſito ſibi mortis
2 terrore non exanimetur. Nec eſt dubium pœnam ordinariam eſſe temperandam, vbi quis deliquit metu, & dolore mortis, *l. ſi quis in graui, §. maritus, ff. ad Syllan. l. ſi adulterium cum inceſtu, §. Imperator, ff. de adulterijs. Tiraquellus de pœnis temperandis cauſa prima per totam. Marſilius conſ. 25. num. 16. Grammaticus deciſ. 5. num. 2. cum ſeqq. Baiard. ad Clarum in §. fin. quæſt. 60. num. 72. cum alijs per Bertazzolum conſil. crimin. 433. num. 1. & 2. & conſ. 505. num. 30.*

3 Quæ concluſio eſt adeo vera, vt procedat etiam ſi motus iuſto dolore, ex propoſito, & deliberatè delinquat, *Bertazol. d. conſ. crimin. 505. num. 30. Baiardus ad Clarum, vbi ſupra, num. 73.*

4 Et etiam ſi ex interuallo delictum ſequatur, *vt eſt tex. ad literam in l. Diuus Adrianus, vbi notant Gloſ. Bart. Angel. & alij comm. ad leg. Pompeiam, de parricidijs, & poſt Afflictum Carrerium, & Bertazzolum tradit Farinac. conſil. 66. num. 5. lib. 1.*

5 Et in terminis noſtris, quod Vulnerans, ſeu occidens ex interuallo minantem ſibi mortem pœna ordinaria delicti non teneatur *firmat Grammaticus deciſ. 5. per totam,* vbi latè hoc comprobat, & ita apud eum ſeruatum fuiſſe teſtatur, & ſequitur *Bertazzol. conſ. crim. 433. & 434. per totum. Baiardus ad Clarum in §. homicidium, num. 45. & num. 105.* quos vnà cum pluribus alijs refert, & ſequitur nouiſſimè *Farinacius de homicidio quæſt. 125. num. 71. & 512.*

6 Nec obſtare putaui, quod dicebatur, tunc demum minas præcedentes excuſare offendentem à pœna ordinaria delicti, quando incontinenti, & in ipſo actu minarum offenſa infertur, non autem vbi ex interuallo, *vt per Boer. deciſ. 168. num. 12. & infra, quia reſpondetur duobus modis.*

7 Primò, quod verior, æquior, & magis communis opinio eſt contra *Boerium, vt oſtendunt Grammaticus deciſ. 5. per totam, & Bertazzolus dd. conſil. 433. & 434. vbi ſub num. 21.*

re-

*reprobat Boerium in dicta deciſ.*168.& teſtatur contra eum extare magis communem Doctorum ſententiam, & Bertazolum, & Grammaticum vna cum pluribus a hijs refert, & ſequitur *Farinacc.de homicid.o quæſt.*125.*num.*71. & 512.

8 Et licèt idem *Farinac. in dicta quæſt.*125. *num.*403. velit offenſum, ſeu prouocatum ex percuſſione per eum offendenti, & prouocanti illata non poſſe excuſari à pœna ordinaria delicti, ſi offendentem ex interuallo vulneret, tamen ex tali concluſione non poteſt inferri,
9 quod alia concluſio ſupra firmata, Quod vulnerans, ſeu occidens ex interuallo minantem ſibi mortem pœna ordinaria delicti non tenetur, vt tradidit idem *Farinac. in dicta quæſt.* 125. *ſub num.*71.& 512. non ſit vera, æquior, & magis communis, & propterea attendenda vulgatis iuribus.

Nec obſtare duxi quod dicebatur, eamdem rationem videri militare tam in vno, quàm in alio caſu, quia vltrà quod in propoſito noſtro adſunt plures deciſiones in terminis, quæ ſem-
10 per ſunt attendendæ, cum faciant ceſſare argumenta, inductiones, & deciſiones per modum regulæ, *Borgninus deciſ.*15.*num.*3.& 4. *deciſ.*28.*num.*16.& 30. *deciſ.*43.*num.*10.& *deciſ.*44.*num.*39.& 40.*par.*1.& *deciſ.*5.*num.* 69.*par.*2. Adhuc dico, quod attentis regulis iuris communis in vtroque caſu non identitas, ſed manifeſta extat rationis diuerſitas. Nam
11 vbi offenſus ex interuallo offendentem offendit non ex alio punitur pœna ordinaria, niſi ex eo, quia præſumitur aggreſſor, & prouocator, & quod animum habuerit ſe vindicandi, *Vulpellus conſ.*118.*num.*8. *BertaZolus conſ.crimin.* 27.*num.*16. *Honded.conſ.*99.*num.*24.*lib.*1.

Quod non eſt in caſu, quo, quis ſit minatus
12 mortem, prout hic, quia minans mortem præſumitur aggreſſor, & prouocator, & minatus
13 de morte quotidie dubitare debet, ne occidatur, & ita continuò manet in periculo vitæ, *Vulpell.dicto conſ.*118.*num.*20. *BertaZol.conſ. crimin.*27.*num.*15. *cum alijs per Farinac.in d.quæſt.*125.*num.*512.& *conſ.*6.*num.*9.*ver. augetur lib.*1. Proinde cum inter vnum, & al-
14 terum caſum adſit diuerſa ratio, non poteſt ex hoc capire, de vno ad alium inferri, *ad vulgatam l.Papinianus, ff.de minoribus.*

Secundò principaliter reſpondetur, quod dato, & non conceſſo, imò expreſsè ſemper negato quod doctrina Boerij vera eſſet, & in iudicio amplectenda, tamen caſui noſtro non officeret, imò potiùs ſummoperè prodeſſet, quia Ser Pompeus vulnerauit ſpect. Vincentium die Lunæ hebdomadæ Sanctæ poſt prandium, ex quo de mane eiuſdem diei audiuerat à dicto Lelio, quod idem ſpect. Vincentius per tertiam perſonam quærebat eum occidere, vt ipſe Ser Pompeus fatetur in ſuis conſtitutis, & ita maleficium commiſit incontinenti, & durante adhuc ira, & non ex interuallo, cum in-
15 continenti quis dicatur delinquere, non ſolum ſi in eadem rixa delinquat, ſed etiam ſi paulò poſt, dummodo iræ calor perduret, *vt per Menoch.de arbitrarijs lib.*2.*cent.*4.*caſu* 361.*num.* 19 & 20. *Farinac.conſ.*2.*num.*8.& 9. *lib.*1. & *pulchrè per Hondedeum conſ.*104. *num* 29.
16 & 30. *lib.*1. quibus in locis vlterius tradunt delictum commiſſum per iram infra 30. dies cenſeri commiſſum incontinenti. Negari enim non poteſt, quin dictus Ser Pompeus per totam illam diem, qua prædicta audiuerat à Lelio, ſteriſſet in iuſta ira, & dolore, vt patet ad ſenſum, & quilibet Iudex iudicare poteſt, cu-
17 ius arbitrio remiſſa eſt cognitio, an, & per quantum tempus duret iracundiæ calor. *Menoch.conſ.*361.*num.*21. *Canalcan.de brachio regio par.*4.*num.*79.*ver. Iudex autem. Theſaurus deciſ.*178.*num.*6.*ver. intra autem quot dies, cum alijs per Farinacium de indicijs, & tortura quæſt.*50.*num.*16.

Nec obſtat, quod ex alio non appareat probatum quod ſpect. Vincentius requiſiuerit dictũ Lelium, vt Ser Pompeum occideret, quam ex dicto ipſiuſmet Lelij, quia reſpondetur, quod cùm hic non agatur, quod Lelius habeat
18 facere aliquam fidem cõtra Spectabilem Vincentium ſuper eius aſſerto mandato, ſed tantùm an narrata per dictum Lelium dicto Ser Pompeo, præbuerint illi iuſtam cauſam credendi rem ita ſe habere, cum agerctur de re grauiſſima, hoc eſt de periculo eius vitæ, & propterea incumbebat illi ita credere, vt per ſe
19 conſtat, quæ ſola iuſta credulitas ſufficit ad excludendum dolum à delicto poſtea commiſſo per dictum Ser Pompeum, & ita ad eum liberandum à pœna ordinaria ex his, quæ ſcribunt *Tiraquellus de pœnis temperandis cauſa* 43.*num.*1.*cum pluribus ſequentibus, Socinus nepos.conſ.*45.*num.*16.*lib.*1. *Decius conſ.*170. *poſt num.*2.*vbi de communi. Aymo conſ.*6.*nu.*8. *Gomeſius de delictis cap.*6.*tit.de iniurijs, nu.*2. *ad finem. Grammaticus dicta deciſ.*5. *num.*26. *Becc. conſ.*98. *num.*17. *BertaZolus conſil.*80. *nu.*9.& *conſ.*515.*nu.*6. *Hondedeus conſ.*105. *num.*

num.23.lib.1.cum alijs per Surdum deciſ.206. num.40.

Quinimmo ſola aſſertio ipſius Ser Pompei
20 pro iuſtificatione dictarũ minarum ſatis fuiſſet, cum in ſuis conſtitutis delictum fateatur, cum hac qualitate minarum, dicens vulneraſſe dictum Spect. Vincentium, quia prius ipſe ſciebat quod Spectabilis Vincentius iactatus fuerit eũ velle occidere, quæ quidem qualitas non poteſt à dicta confeſſione ſeparari, vt in his terminis tradit *Grammaticus dicta deciſ. 5.num.13. quem refert, & ſequitur Tobias Nonius conſ.109. num.3.*

Nec obſtat quod dictus Ser Pompeus in dictis ſuis conſtitutis dicat vulneraſſe dictum Spect. Vincentium, ex quo ipſe fuit ab eo prouocatus, & aggreſſus, quod tamen non probauit, quia cum dixerit quod hoc fecit etiam ex eo, quia ſciebat, quod dictus Spect. Vincẽtius machinabatur contra eius vitam, prout de tali ſcientia dedit authorem dictum Lelium, qui, vt dixi, in proceſſu pluries confeſſus fuit, & in tortura pluries reiterata confirmauit, hoc ſuf-
21 ficit, quia vbi ex pluribus narratis ad conſequendum aliquem effectum iuſtificantur aliqua ex quibus poſſit reſultare effectum narratorum, tunc diſpoſitio ſuſtinetur, *Felinus in cap.2. num.23. de reſcriptis, vbi Ripa num.58. Aegid. deciſ.280. Puteus deciſ.69. lib.2. & 193.lib.1.Rota deciſ.17 t. num.1.par.1.diuerſ.* & fuit deciſum in vna Romana Cenſus 13. Maij 1596. coram Illuſtriſſimo Blanchetto.

Prout etiam non obſtat, quod dicebatur d. Pompeum potuiſſe ſe liberare ab huiuſmodi
22 imminenti periculo mortis mediante cautione de non offendendo, *vt per Boer. dicta deciſ. 168. num.13.* quia reſpondetur primò iſtud abſolutè negãdo, cum poſtea de ordine Spect. Vincentij potuiſſet ab alio occidi, abſque eo quod ob difficultatem probationum veritas huius negotij apparere poſſet, vt ei iam dixerat dictus Lelius, & ita cautio eum abſolutè ſaluum non reddebat, vt per ſe patet, Et quod
23 fragile ſit remedium, pro effugiendo periculo vitæ ſe ſolæ cautioni de non offendendo committere *dicit tex. in l. ſuſpectus, de ſuſpectis, & in l.cogi, §.ſi pater ad S.C. Trebell. & tradit Tiraquell. de retract. tit.1. §.1. gloſ.18. num. 33. ante finem, quem refert & ſequitur Herculan. de caut. de non offendendo cap.11. num.8. ver. fragile eſt enim.*

24 Vltra quod tantum abeſt, quod propter petitionem huius cautionis dictus Ser Pompeus ſuæ indemnitati proſpexiſſet, vt potius animum dicti Spect. Vincentij ob hãc querelam, & petitionem contra ſe magis irritaſſet, ſicuti in his terminis reſpondendo *Boerio ſupra allegato. conſiderat Bertazol. d.conſ.434. num.23.*

Et hæc dicta ſint quoad primam partem ſententiæ.

Quo verò ad ſecundum caput, in quo dictus Dominus Prætor condemnauit d. Ser Pompeum in libras centum vigintiquinque b.m. pro prætenſa debilitatione, ſeu vt vulgò dicitur ſtroppiatura digiti pollicis, exiſtimaui dictam ſententiam in hac parte reuocandam, quia talis debilitatio, ſeu ſtroppiatura nullatenus probata fuit.

Non enim obſtat aſſertio Andreæ Merelli Chirurghi, & denunciatoris in principio cauſæ facta ex pluribus, & primò, quia Denunciatio
25 Chirurghi, & aliorum, quæ fit ad effectũ dandi ſcientiam Curiæ, de delictis licèt deſeruiat ad inquirendum, non tamen aliquam probationem, vel inditium contra eum conſtituit, vt colligitur *ex cap. 13. lib.4. ſtatutorum ſub rubrica de effectu denunciationis delictorum,* quod eſt conforme diſpoſitioni iuris communis *iuxta notata per Alexandrum in conſil.1. num.8. lib.3.*

Secundò, quia aſſertio dicti Andreæ non
26 eſt iurata, nec in forma teſtis facta, quo caſu illi non creditur ſine iuramento *cap. nuper cum ibi notatis per Doctores, de teſtibus. l.iuſiurandi, C.eodem, cum alijs per Vincentium de Fran-*
27 *chis deciſ.590. num.5.* Quod in tantum eſt verum, vt deponens in criminalibus ſine iuramento teneatur pœna falſi ſecundum communem opinionem, de qua teſtatur *Clar. in §.falſum ver. tu ſcis, & ſequitur Triniſanus deciſ. 53. num.17. lib.2.*

Tertiò, quia idem Andreas eſt vnicus, &
28 ſingularis, & ſic nihil probat iuxta latè tradita *per Gabrielem de teſtibus concluſ.1. num.1. cum ſeq. Farinac. de teſtibus quæſt.64. per plures numeros. Ambroſiu. deciſ.9. num.9.*

29 Quartò, & vltimò, quia idem Andreas non deponit affirmatiuè & certè, quod d. Spectabilis Vincentius occaſione aſſerti vulneris in dicto digito pollice debilitatus, ſeu ſtroppiatus, vt dicitur, remanere deberet, ſed tantum quod de hoc erat periculum, & ſic dubitatiuè loquitur, qui propterea aliquam probationem
30 non facit, Tum quia probatio debet eſſe concludens, & certa, & maximè in criminalibus,
31 vbi probationes luce meridiana clariores exigun-

guntur *ad tex. in l.ſciant cuncti, C.de probat.*
Boſſ. in tit.de conuictis, num.9. & tradit Clar.
quaſt.63. ver. debent autem.
Tum etiam quia, cum dubitatiuè idem An-
32 dreas loquatur oſtendit ſe, de eo quod loqui-
33 tur paruni expertus cum dubius, & ignorans
æquiparentur *Bart. in l.fin num.1. C. de con-*
dict.indebiti. Dec. in l.quamdiu, num.2. C.qui
admitti. Iaſ. in l.poſſidere, §.genera, num.17.
ff.de acquir.poſſeſſione. Natta conſ.162.nu.32.
Alex. conſ.14. num.3. lib.1. cum alijs per Me-
nochium de arbitrarijs quæſt.75. num.7. lib.1.
Et conſequenter cum de aſſerta debilitatio-
ne, ſeu ſtroppiatura dictus Ser Pompeus non
conuincatur, & illam negauerit debebat pro-
34 cul dubio ab ea abſolui, & liberari *cap. prohi-*
benti 2.quaſt.1. l.qui ſententiam, C.de pœnis.
Bertazolus conſil.crimin.140. num.1. lib.1.
Nec obſtat, quod poſt omnes aſſignatos
terminos, eoſque peremptos, pro parte fiſci
fuerint inducti duo Chirurghi, qui aliqualiter
depoſuerunt ipſum Spectabilem Vincentium
diuerſi, non ſolum ab ipſo digito pollice, ſed
etiam à duobus alijs debilitatum, & vt dicitur
ſtroppiatum remanere debere, quia, & hi teſtes
nullam prorſus probationem faciunt, nec ſunt
in aliquo attendendi ex pluribus. Primò, quia
35 extra terminum probatorium, & parte non
monita, neque citata inducti fuerunt, quo ca-
ſu non probant *Lanfrancus in cap. quoniam*
contra cap.2. num.12. de probat. Rota deciſ.30.
in nouis.
Nec obſtat, quòd fiſcus, ex diſpoſitione
36 *cap.39.l.4. ſtatutorum in ver. & in omnibus*
ſupradictis caſibus poſſit quandocunque vſque
ad ſententiam teſtes inducere, & probationes
37 facere, quia hoc intelligitur parte præſente,
monita, vel citata, vt in terminis declarat *Le-*
pid. deciſ.Lucenſ.135. ver nec refert, fol.204.
colum.2. Cornazan. deciſ.Lucen.13. num.5.
Et aliter non probant etiam ſi eſſent mille, nec
aliquod indicium faciunt, *vt per Grammati-*
cum conſ.crimin.15. num.3. Roland.conſil.12.
num.37.l.5. Hondedeus conſ.101. num.16. &
21. cum ſeqq. lib.1.
Secundò, quia aſſerti Chirurghi nihil om-
38 ninò probant cum non fuerint examinati, &
repetiti ſuper interrogatorijs per dictum Ser
Pompeum exhibitis, vt latiſſimè tradit *Blan-*
cus in tract.de inditijs, num.21. Burſatus con-
ſilio 20. num.65. lib.1. & plenè Hondedeus di-
cto conſil.101. num.25.26.37. & 38. & alibi
paſſim per totum conſilium, & plenius Farina-
cius de teſtibus quaſt.73. num.2. cum pluribus
ſequentibus.
Tertiò, quia non ſolum dicti Chirurghi
non probant, ſed proceſſus in ea parte rema-
net nullus, cum poſt eorum depoſitionem non
fuerit ipſi Ser Pompeo aſſignatus terminus ad
39 faciendum ſuas defenſiones, prout omninò
aſſignari debebat *iuxta tex. in l. vnius, §.co-*
gnitionem, & ibi Doctores, ff.de quaſtionibus.
Iaſon conſilio 165. lib.1. Follerius in praxi in
tertia parte principali, num.54. & ita fuit ſæ-
pius in hac Rota deciſum.
Proinde cum reſpectu debilitationis huius
digiti, vel ſtroppiaturæ illius, nec per teſtes,
nec per confeſſionem dictus Ser Pompeus ap-
pareat conuictus, meritò illum eſſe abſoluen-
dum in hac parte duxi, reſeruato iure fiſco ite-
rum melius agendi pro prætenſa debilitatio-
ne, ſeu ſtroppiatura.
Et hæc quoad ſecundam partem dictæ ſen-
tentiæ.
Quo verò ad tertiam partem dictæ ſenten-
tiæ, quæ reſpicit condemnationem factam de
Frediano Puccini in libras 46. ſolidos 17. &
40 den.6. exiſtimaui illam confirmandam, quia
ſtante eius confeſſione nullæ aliæ erant par-
tes iudicis niſi illum condemnandi *iuxta for-*
mam ſtatutorum. l proinde, §.notandum, ff.ad
leg. Aquiliam cũ alys per Galleſium ad formam
obligationis cameralis par.1. quæſt.2. num.12.

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA THOMÆI LENZI cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Ex inditijs, an & quando poſſit quis con-
demnari in pœnam extraordi-
nariam?

SVMMARIVM.

Ad effectum vt poſſit quis ex inditijs condem-
nari in pœnam extraordinariam, requiritur
quod inditia ſint indubitata, & vehementia,
num.1.
Etiam ſi delictum ſit de occultis, & difficilis
probationis, num.2.

Inditia indubitata ſunt rei demonſtratio per ſigna ſufficientia per qua animus tamquam in verò exiſtens quieſcit, nec vlterius quærit inueſtigare, num.3.

Inditia ſufficientia ad condemnandum non ſunt, quod reperiatur quis mortuus in quadam domo, qua vnicum habeat oſtium, & probetur contra accuſatum de homicidio inimicitia cum eo, item fama publica, & quod viſus ſit exire de illa domo cum gladio euaginato, ſed ſolum ſunt inditia ad torturam, nu.4.

Præſumptiones vbi poſſunt actui adeſſe, vel non adeſſe tunc ex eis non poteſt ſequi condemnatio, num.5.

Quod pulli fuerint reperti mortui in cellario alicuius non ſufficit ad condemnandum, ſed tantum ad torquendum, num.6.

Quod pulli fuerint reperti mortui in cellario alicuius non concludit de neceſſe, quod fuerint furati ab eo, & per eum ibi poſiti, cum potuerint ibi eſſe ab alio proiecti ex fæneſtra cellarij, num.7.

Teſtis ſibi cõtrarius nullam fidem meretur, n.8.

Contrarietas etiam in non ſubſtantialibus teſtes omnino repellit quando non carent ſuſpicione falſi, num.9.

Inimicus capitalis repellitur à teſtificando, numero 10.

Teſtes vt probent publicam vocem & famam, requiritur, quod ſint omni exceptione maiores, num.11.

Teſtes deponentes de fama, vt illam probent non ſufficit, quod dicãt publicè audiuiſſe, ſed opus eſt vt etiam non interrogati deponant audiuiſſe à maiori parte populi loci, in quo dicunt famam vigere, aliàs non probant, num.12.

Teſtes vt probent famam non ſufficit, quod dicant à multis audiuiſſe; cum in duobus vel tribus verificari poſſint, quod non habetur in conſideratione ad effectũ probãdi famã, n.13.

Teſtes vt probent famam debent exprimere, & declarare cauſam, vnde fama ipſa originem traxit, & à quibus audiuerint, vt ſic inſpici poſſit an fuerit vana vox populi cui non eſt credendum, vel an ſit fama probabilis, nu.14.

Fama debet habere originem à perſonis honeſtis, & fide dignis, & non à maleuolis, & improbis, num.15.

Fama vt probet non debet eſſe aliqua præſumptio in contrarium, num.16.

Teſtes vt probent famam debent etiam non interrogati nominare perſonas à quibus ortum fama habuerit aliter famam non probant etiam ſi dicant ſe non recordari, num.17.

Fama vt dicatur probata debet de neceſſitate articulari, & probari famam habuiſſe ortum à fide dignis, num.18.

Fama vt probet debet præcedere inquiſitionem, & querelam, num.19.

Teſtis vnicus non facit adminiculum, maximè ſi ſit colonus, & factor, num.20.

Honor eſt cunctis rebus præferendus, num.21.

Inditia plura quando adſunt contra aliquem, & vnum quodque ex illis vti de per ſe conſideratum non ſufficeret, omnia ſimul iuncta aliquid operari debent, num.22.

Singula quæ non proſunt multa collecta iuuant in ciuilibus non autem in criminalibus, n.23.

Inditia quando non ſunt in ſua ſpecie perfecta, & teſtes ex quibus illa inſurgũt non ſunt omni exceptione maiores non poſſunt coniungi ad effectum condemnandi, num.24.

DECISIO VIII.

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea.

EXISTIMAVI contra Thomeum Lenzium inquiſitũ ſuper eo, quod furatus fuiſſet vndecim pullos Spect. Petro Seſti non extare talia inditia, ex quibus poſſet condemnari arbitrata pœna ad permanendum in carceribus Saxi per menſem, aut exulandum per annum, nec non reſtituẽdum dictos pullos, prout factum fuit à D. Prætore Iudice à quo, ſed tantum cõtra ipſum extare inditia ad torturam; Quia licèt contra ipſum videantur extare tria inditia ſatis prima facie vrgentia. Quorum primum eſt, quod fuerint in eius cellario reperti nonnulli pulli mortui, & quod illi erant in parte, in quam per graticulam feneſtræ, quæ reſpicit in viam publicam proijci non potuerunt, vt deponunt quinque teſtes fiſci.

Secundum quod non ſolum per quatuor teſtes probatur publica fama, quod dictus Thomeus cõmiſerit hoc delictum, ſed quod per alios quinque teſtes fuit probatum fuiſſe publicam vocem, & famam, quod dictus Thomeus iam quinque ab hinc annis furatus fuerit nonnullos alios pullos Spectabili Silueſtro Manzio.

Tertium, & vltimũ, quod Capitaneus Lenzius eius patruus requiſiuit Laurentium Antonij de Piazzano, vt vellet rogare Spect. Petrum

trum Seſti, vt nollet ſuper hoc porrigere que-
relam contra dictum Thomeum offerendo ſe
de ſuo ſoluere dicto Spect. Petro dictos pullos,
quando dictus Thomeus, ſiue Petrucius eius
pater illos ſoluere noluiſſent. Quæ licèt, vt
dixi, Videantur prima facie inditia ſatis vr-
gentia, tamen illis maturè, & diligenter diſcuſ-
ſis, non vidi eſſe talia, vt ex illis deberet dictus
Thomeus condemnari, nec in pęnam extraor-
dinariam, ſi quidem illa apud me non fuerunt
1 habita pro indubitatis, vehemētibus & claris,
prout requiritur ad effectum, vt quis poſſit ob
inditia condemnari in pœnam extraordina-
riam, vt tradunt *Menoch. conſil. 82. num. 243.
Honded conſ. 106. num. 64. cum alijs per Boſ-
ſium in ſua praxi crim. in tit. de conuictis, num.*
2 *46. & ſeq.* vbi dicit hoc procedere, etiam ſi de-
lictum ſit de occultis, & difficilis probationis.

Quod autem in caſu noſtro non adſint indi-
3 tia indubitata eſt euidens, nam inditia indubi-
tata, ſunt rei demonſtratio per ſigna ſufficien-
tia, per quæ animus noſter in aliquo tanquam
in vero exiſtente quieſcit, nec vlterius curat in-
ueſtigare. *Bald. in l. ea quidem, num. 8. C. de
accuſationibus. Angel. in tract. maleficiorum in
verbo fama publica col. 2. ver. quæro quod ſit
inditium cum alijs per Brunum in tract. de in-
ditijs in 1. quæſt. primæ partis, num. 3.* In tan-
tum vt multi, & quidem graues Doctores di-
4 xerint, quod licèt quis reperiretur mortuus in
quadam Domo, quæ vnicum haberet oſtium,
& probaretur, contra accuſatum de homici-
dio, inimicitia cum eo, item fama publica, &
quod viſus eſſet exire de illa domo, cum gladio
euaginato, adhuc talia inditia non ſufficerent
ad condemnandum, ſed ſolum facerent indi-
tium ad torturam, ita enim poſt multos, quos
allegat, tradit *Gandinus in tract. maleficiorum,
tit. de præſumptionibus, & inditijs indubitatis
col. 1. & duabus ſequentibus, & ſequitur Gram-
mat. deciſ. 42. per totam.*

Er meritò quidem, nam licèt huiuſmodi in-
ditia talia ſint, quod rei veritatem videantur
ante oculos proponere, nihilominus non infe-
runt de neceſſitate, quod ille mortuus fuerit
5 interfectus ab illo exeunte, cum potuerit ab
alio eſſe occiſus, & vbi præſumptiones poſſunt
actui adeſſe, & non adeſſe, tunc ex eis non po-
teſt ſequi condemnatio, vt dicit *Felin. in cap.
quia verisſimile in fine de præſumpt. & ſequitur
Boſſius in ſua praxi criminali. tit. de conuictis,
num. 44. & poſt alios Surdus conſil. 133. num.
89. cum pluribus ſequentibus.* Et conſequen-
ter ſi tali caſu, in quo inditia non poſſunt eſſe
grauiora, non poteſt procedi ad condemna-
tionem, multò minus exiſtimani poſſe con-
demnari dictum Thomeum ex ſupradictis in-
ditijs contra eum exiſtentibus cum non ſolum
mihi non fuerint viſa vrgentia, & indubitata,
ſed nec etiam probata.

Ex eo autem inditia contra Thomeum exi-
6 ſtentia ſatis leuia exiſtimaui, Nam primum in-
ditium quod conſiſtit in eo, quod in eius cella-
rio fuerint repetti tres pulli mortui, quod eſt
maius inditium, quod contra eum exiſtat, vltra
quod non ſufficit ad condemnandum, ſed ad
torquendum *Clarus in §. fin. quæſt. 21. ver. ſi*
7 *res furata,* dico quod non concludit de neceſ-
ſe, quod dicti pulli fuerint furati à d. Thomeo,
& per eum ibi poſiti, cum potuerint ibi eſſe ab
alio proiecti ex fœneſtra Cellarij, quæ reſpicit
verſus viam, maximè cum fuerint reperti in
terra partim hic, & partim illic, vt deponunt
teſtes fiſci, ſi quidem ſi fuiſſent in dicto cella-
rio per Thomeum reconditi fuiſſent per eum
poſiti in loco magis cougruo, vt patet ad ſen-
ſum, Quod & eo magis mihi ſuadebatur ex eo,
quod Oliuus vnicus teſtis, dum dicit, quod
tranſiens de Sero Iouis ante Feſtum Natalis
Sanctiſſimi D. Noſtri Ieſu Chriſti ante do-
mum ipſius Thomei, de via publica ab vna
fœneſtra ipſius Cellarij vidit illum habentem
lucernam in manibus, & introeuntem in ſuo
cellario, & inde accipientem duas gallinas, vbi
alias ſibi remanſiſſe viſum fuit, non caret ſu-
ſpicione magnæ falſitatis, cùm in proceſſu
appareat apertè probatum, quod dicta die Io-
uis ante Feſtum Natalis Domini, dictus Tho-
mas ab Aurora vſque ad quartam horam no-
ctis ſemper ſtetit in Franctorio Vincentij An-
tonetti de Torcigliano, & ſic eſt impoſſibile,
quod in ſecūda hora noctis fuerit viſus in eius
Domo, & cellario prout dictus Oliuus teſtari
conatur. Maximè cum dictus Oliuus ſit ſibi
contrarius, dum fol. 77. dicit neſcire an galli-
næ inuentæ in dicto Cellario Thomei eſſent
eędem, cum furatis dicto Spect. Petro, & po-
ſtea folio 78. dicit quod dicti pulli erant ip-
8 ſius Spect. Petri, & propterea, cum in hoc ap-
pareat ſibi contrarius, nullam fidem meretur
*ad textum in l. qui falſa, vel varia, ff. de
teſtibus cum ſimilibus.*

Stante pręcipuè, quod nō careat ſuſpicione
9 falſi, vt dixi, quo caſu cōtrarietas etiam in non
ſubſtantialibus teſtes omninò repellit, *Gloſ. in
c. cauſam, quæ in ver. tēpore, vbi Innoc. Bald. &*

alij, de teſtibus. Milis in tract. de teſtibus in ver.
teſtis quando eſt ſuſpectus, & in ver. teſtis ſi in
vno dicit falſum. Natta conſil.315. num.11.
cum alijs per Grammaticum conſilio 1. num.8.
& 29. & conſ.25. num.28. & fuit deciſum in
vna Parmen. ſtatus 4. Iunij 1601. coram Illu-
ſtriſſimo Millino. Et quod dictus Oliuus ſit
capitalis inimicus dicti Thomei, ex quo cum
10 eo habuit magnam rixam, vt deponunt teſtes
ad defenſam, quod omni caſu ſufficeret ad
eum à dicto teſtimonio omninò repellendum,
vt poſt Clarum in §. fin. quaeſt.24. ver. item quae-
ro, tradit Honded. conſ.100. num.26. & conſ.
105. num.68. lib.1. & ſequitur Farinac. de te-
ſtibus quaeſt.55. per plures numeros.

Nec obſtat, quod nonnulli teſtes dicant eſſe
impoſſibile, quod dicti pulli fuerint ibi proie-
cti è fœneſtra, quia cum duo ex illis dicant,
quod dicti pulli fuerint reperti ſubtus vnam
fœneſtram, quæ reſpiciebat in viam, & erat
aperta ſolum per ſpatium quatuor digitorum
hoc ſufficit, vt ab aliquo potuerint proijci è di-
cta fœneſtra in dictum cellarium, & ſic tale in-
ditium remanet adeò leue, vt in illo non poſ-
ſit fieri aliquod fundamentum ad effectum
condemnandi,

Quod verò ſpectat ad ſecundum inditium
deſumptum ex eo, quod ſit publica vox, & fa-
ma, quod d. Thomeus non ſolum de præſenti
furatus ſit dictos pullos Spect. Petro, ſed quod
iam quinque ab hinc annis dictus Thomeus
furatus fuit nonnullos alios pullos Spect. Sil-
ueſtro Manzio, exiſtimaui nec ſuper hoc fieri
poſſe aliquod fundamentum ad effectum con-
demnandi dictum Thomeum, nam licèt cõtra
eum videantur vrgere depoſitiones nouem te-
ſtium, quorũ quinque conãtur probare, quod
fuerit publica fama, quod dictus Thomeus fu-
ratus ſit iam quinque ab hinc annis Spect. Sil-
ueſtro Manzio nonnullos pullos, & quatuor
alij, quod ſit publica vox, & fama, quod d. Tho
meus de præſenti furatus ſit dictos pullos di-
cto Spect. Petro Seſti, nihilominus vltra mul-
tas exceptiones, quas dicti teſtes patiũtur, quæ
de induſtria omittuntur, & conſequenter non
11 poſſunt dictam famam probare, cum non ſint
omni exceptione maiores, *vt tradit Dec. in c.1.*
num.14. de probat. quæ opinio magis commu-
niter approbatur, vt poſt alios docet *Riminald.*
iun. conſ.648. num.3. & ſeq. lib.6. & ſequitur
Honded. conſ.102. num.72. lib.1. Adhuc mi-
hi viſum fuit illam nullo modo per eos proba-
ri, nam omnes præfati teſtes nihil aliud in ſum-
ma dicunt, niſi quod audiuerint publicè dici,
quod d. Thomeus furatus fuerit dictas galli-
nas, abſque eo, quod dicant de quo tempore,
12 & à quibus audiuerint, Et nihilominus teſtes
deponentes de fama, vt illam probant, non ſuf-
ficit, quod dicant publicè audiuiſſe, ſed opus
eſt, vt etiam non interrogati deponant audi-
uiſſe à maiori parte populi loci, in quo dicunt
famam vigere, alias non probant, *vt tradit*
Gloſ. in l.3. §. eiuſdem, ff. de teſtibus, & ibi Do-
ctores. Bart. in l. de minore, §. ſi plurium, ff. de
quaeſt. Roman. in l.1. ff. de noui operis nuncia-
tione. Grammatic. conſ. crimin.26. num.3. & eſt
communis Doctorum ſententia, de qua teſtatur
Curt. iun. conſ.122. nu.9. Clar. q.6. ver. debent
etiam, Aymo conſil.41. num.5. & Grammatic.
conſil.42. num.12.

Et concluſio eſt adeò vera, vt non ſufficeret,
13 quod teſtes dicerent à multis audiuiſſe, cum in
duobus, vel tribus verificari poſſet, quod in
conſideratione non habetur cum ex hoc non
reſultet famæ probatio, *Bart. in l. de minore,*
§. plurium, num.22. ff. de quaeſt. Dec. conſ.419.
num.18. & de communi. Roland. conſ.54. num.
19. & in fine lib.1.
14 Secundò dicti teſtes non probant dictam
famam, quia non exprimunt, nec declarãt cau-
ſam, vnde fama ipſa originem traxit, & à qui-
bus audiuerint, vt ſic inſpici poſſit, an fuerit
vana vox populi, cui non eſt credendum, vel
an ſit fama probabilis, *Bart. in d.l. de minore in*
vltima columna, ff. de quaeſtionibus. Natta conſ.
15 *362. nu.9.* Fama enim debet habere originem
à perſonis honeſtis, & fide dignis, & nõ à ma-
leuolis, & improbis. *Aymo conſ.41. nu.5. Ruin.*
conſ.51. nu.14. lib.5. Alexand. conſ.100. lib.1.
vbi de communi. Roland. conſ.54. nu.16. lib.1.
Clar. in §. fin. quaeſt.6. ver. illud tamen. Rimi-
nald. iun. conſ.88. nu.9. lib.1. Grammatic. conſ.
crimin.26. num.13. Pedemont. deciſ.101. num.
17. Dec. conſ.37. num.9. & 10. Afflictus deciſ.
337. num.2. & ſequitur Hondedeus conſ.102.
16 *num.73.* Nam vt fama probet non debet eſſe
aliqua præſumptio in contrarium, *Rota deciſ.*
176. num.6. par.1. diuerſorum.

Et prædicta ſunt adeo vera, vt pariter te-
17 ſtes etiam non interrogati debeant nominare
perſonas, à quibus ortum fama habuerit, &
aliter famam non probant etiam ſi dicerent ſe
non recordari, *Rolandus conſil.54. num.13. &*
ſeq. lib.1. Clar. in §. finali quaeſt.6. verſic. ſed
18 *quid. Decianus conſ.88. num.8 lib.3.* Et quod
de neceſſitate ſit articulandum, & proban-
dum

Digitized by Google

dum famam à fide dignis ortum habuiſſe tradunt *Aymo conſ.249. num.14. & Menochius conſil.60.num.21.lib.1.* Vnde cum in caſu noſtro teſtes non dixerint à quibus audiuerint prædicta dici; & ſic ſciri non poſſit à quibus talis fama ortum habuerit, & illa potuerit oriri ab Oliuo eius inimico, ſumus in claris quod præfati teſtes dictam famam non probant ex allegatis.

Quibus accedit, quod etiam ex hoc alio dicti teſtes non probant prætenſam publicam vocem, & famam, quod dictus Thomeus furatus fuerit dictos pullos ſpect. Petro Seſti, quia non depoſuit de quo tempore dici audiuerint.

19. Et tamen ad hoc, vt fama probet debet præcedere inquiſitionem, & querelam, *Grammatic.conſ.42.nu.15. Burſatt.conſ.192.nu.33.lib.2. Honded.conſ.102.num.74.lib.1.*

Nec obſtare mihi viſum fuit, quod dicebatur Capitaneum Lenzium patruum dicti Thomei perquiſiuiſſe Laurẽtium Antonij de Piazzano, vt vellet operari, cũ Spect. Petro, vt nol-
20 let porrigere de hac re querelam, quia vltra quod hoc adminiculum non eſt legitimè probatum, cum non ſit probatum niſi per vnicum teſtem, qui eſt colonus, & factor dicti Spect. Petri, qui propterea non probat. *Pariſ.conſ.83. nu.40. cum alijs per Farinac. de teſtibus quæſt. 55. inſpect.4. num.213.cum pluribus ſeqq.*

Adhuc dico, quod quatenus hoc eſſet probatum non poſſet nocere dicto Thomeo, cum non appareat factum de ordine ſuo, ſed ſolum dictus Capitaneus potuerit illum rogare, ex ſe ipſo, ad effectum ne per talem querelam irrogaretur aliqua infamia eius domui, cùm age-
21 retur de materia furti, licèt in ſe vera non eſſet, nam honor eſt cunctis rebus præferendus, *l. Iulianus, vbi DD. ff. ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti, & vt dicit textus in l.miles, §.ſocer, ff. de adulterijs.* crudelis eſt, qui famam ſuam negligit.

Nec pariter mihi obſtare viſum fuit, quod
22 dicebatur, quod quando vnumquodque ex prædictis inditijs, vti de per ſe conſideratum non ſufficeret, omnia ſimul iuncta aliquod facere debent *ad Gloſ.fin. in l.ob carmen in fine, ff.de teſtibus, & in cap. dilectus extra de elect.*
23 *cum ſimilibus,* quia vltra quod Regula procedit in ciuilibus non autem in criminalibus. *Marſilius conſil.20. num.48. Caphalus conſilio 204. num.24. Caballus in ſuis reſolut. criminalibus caſu 200. num,138. cum alijs per Boſſium in ſua praxi criminali in tit.de conuictis, num.23.* Adhuc dico, quod cum dicta inditia non ſint in ſua ſpecie perfecta, vt probaui,
24 & teſtes, ex quibus illa inſurgunt non ſunt omni exceptione maiores non poſſunt coniungi ad effectum condemnandi, *Bald. in l.ſi quis ex argentarijs, §.item ſecundo, num.4. ff. de edendo. Alexand. conſil 143. colum.2. lib.2. Decius in cap.cum cauſam, num.10. de probat. & conſil.458. num.7. cum alijs per Caphalum conſ.204. num.24.*

Atque cum ex his non potuerit animus meus ſuper prædictis inditijs, tamquam veritate comperta quieſcere ad credendum, quod dictus Thomeus furatus fuerit pullos, de quibus agitur Spect. Petro Seſti, meritò dictum Thomeum à dicta condemnatione abſolui, & contra ipſum extare tantum inditia ad torturam pronunciaui.

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA D. FRANCISCI IOANNIS Damucci cum Petro Baptiſtæ Colognolæ, & Fiſco.

ARGVMENTVM.

Abſolutus à Iudice criminali à pœna turbationis, an poſſit condemnari ad deſiſtendum?

SVMMARIVM.

Abſolutus à Iudice criminali à pœna turbationis poteſt condemnari ad deſiſtendum, nu.1.
Cõtraria tamen opinio probatur verior, nu.2.
Iudex criminalis licèt poſſit cognoſcere de intereſſe ciuili partis, & ad illud etiam Reum condemnare, tamen hoc procedit ſolum in caſu, quo apparet de delicto, ita vt ſit locus pœnæ criminali, cæterum ſi non conſtat de delicto, num.3
Iuriſdictio criminalis non ſe extendit ad cauſas ciuiles, num.4.
Opinio illa eſt amplectenda, quæ à pluribus approbatur, num.5.
Veritas melius per plures inuenitur, num.6.
Iudex criminalis & omiſſa criminali cõdẽnatione, vel abſolutione põt principaliter cognoſce-

re,ac pronunciare ſuper actione ciuili ex crimine deſcendente, num.7.

Iudex criminalis poteſt declarare inſtrumento tamquam de falſo ſuſpecto non eſſe adhibendum fidem, quamuis criminaliter, & de pœna non pronunciet, num.8. Intellige tamen verum quando ſola actio ciuilis ex crimine deſcendens principaliter coram Iudice criminali intentatur. ſecùs ſi principaliter eſſet petitum condemnari in pœnam criminalem, num.9.

Iudex non poteſt contra formam petitionis, omiſſa condemnatione criminali principaliter intentata, ſuper ciuili actione incidenter petita cognoſcere, & pronunciare, num.10.

Doctores qui dicunt Iudicem criminaliter poſſe ciuiliter condemnare intelligunt hoc verum quando Reus eſt confeſſus, aut conuictus, num.11.

Via, Iter, Actus ad eundum ad aliquod prædium ruſticum præſcribitur ſpatio 30.annorum, ſi non vi, non clam, vel precario fuerit illis quis vſus per ſpatium dicti temporis, nu.12.

Ad deſiſtendum à turbatione quis non poteſt condemnari, vbi non conſtat de turbatione, num.13. maximè ſi non fuerit probatus dolus, quia non ſufficit probatio turbationis, niſi ſimul de dolo appareat, num.14.

Turbare is non dicitur, qui iure permittente aliquid facit, & vtitur iure ſuo, num.15.

A turbatione quis excuſatur, quando habuit iuſtam, & rationabilem cauſam credendi quod id, de quo imputatur facere poterat iure permittente, num.16.

In Iudicio turbationis adhoc vt quis abſoluatur à pœna criminali turbationis ſufficit, quod ſimpliciter alleget ſe eſſe in quaſi poſſeſſione tranſeundi per illum locum, abſque eo, quod iſtud probet, nam hac oppoſitione facta non poteſt amplius quis criminaliter moleſtari, ſed ciuiliter inter partes agendum eſt, nu.17.

Ab expenſis abſoluitur qui habuit aliquam cauſam appellandi, num.18.

DECISIO IX.

Dominus illuminatio mea.

IN cauſa appellationis interpoſitæ à D. Franciſco Ioannis Damucci à quadam ſententia abſolutoria à criminalitate lata per D. Prætorem ad fauorem Petri Baptiſtæ Cologno-
læ. Cenſuimus benè iudicatum per D.Prætorem, dum abſoluit dictum Petrum Baptiſtæ
à pœna turbationis, reſeruato iure ciuiliter
agendi abſque eo, quod illum condemnaret
ad deſiſtendum, prout prætendebatur ex aduerſo, & malè pro parte dicti Franciſci Damucci appellatum, Quia licèt aliàs fuerit ten-
1 tum in hac Rota, quod Abſolutus à pœna tur-
bationis poſſet condemnari ad deſiſtendum,
vt patet *ex Lepido deciſ.34.62. & 84.* nec non
ex Cæſare Barzio deciſ.vlt. ſub num.24. Ta-
2 men nobis viſum fuit dictas deciſiones non
tranſire abſque difficultate, ſi quidem multi
authores, & quidem graues teneant, quod licèt Iudex criminalis, implorato eius officio,
poſſit acceſſoriè cognoſcere de intereſſe ciuili
partis, & ad illud etiam Reum condemnare,
vt tradit *Bart. in l. qui furem, num.5. ff. de
furtis,* id tamen procedit ſolum in caſu, in quo
3 apparet de delicto, ita vt ſit locus pœnæ crimi-
nali, nam tunc acceſſoriè fieri poteſt condem-
natio etiam ad intereſſe ciuile. Cœterum ta-
men quando non conſtat de delicto, ita, vt ſu-
per criminalitate ſit ferenda ſententia abſolu-
toria, nam tunc cum deficiat principale, deficit
etiam acceſſorium, & conſequenter non poteſt
Iudex criminalis ſe ſuper intereſſe ciuili intro-
mittere, non ex eo, quòd ex abſolutione à pœ-
na, de neceſſitate ſit inferendum ad abſolutio-
nem, quoad intereſſe partis, prout nonnulli er-
4 roneè operati ſunt, ſed quia iuriſdictio crimi-
nalis non ſe extendit ad cauſas ciuiles, & ideo
pro intereſſe ciuile eſſe Iudicem competentem
adeundum firmarunt, *Natta conſ.407. nu.14.
Bertazol. conſ.232. per totum lib.1. vbi etiam
Claudius in additione in litera A. Creſcen. deciſ.167. alias 5. de Iudicijs per totum. Riminaldus conſ.106. ſub num.8. inter conſil. criminalia Ziletti in forma parua lib.1. Hector Felic.
alleg.149. num.27. par.2. Baiardus ad Clarum
quæſt.2. num.9. Hondedeus conſ.99. num.53.
lib.2. Farinac. de inquiſit. quæſt.1. num.65.
vbi reſpondet Simeoni Peruſino, & alijs contrarium tenentibus, & ſequitur in conſ.69. per totum.* Vnde cum iſta opinio ſit tot authorita-
5 tibus fulcita meritò non obſtantibus deciſio-
nibus. *Lepidi, & Cæſaris Barzij ſupra allegatis,
in quibus allegantur duo, vel tres Doctores,*
hanc vnanimiter amplexi ſumus, maximè cum
inuenerimus fuiſſe etiam in hac Rota ita iudicatum de anno 1608. in quadam cauſa appel-
lationis Balthaxaris Luparini cum fiſco, ſi
6 quidem Veritas melius per plures inuenitur

cap.

Digitized by Google

cap.per hoc, §.verum vbi Dominicus de Sancto Geminiano de hæreticis in 6.

Nec obſtat quod Iudex criminalis etiam
7 omiſſa criminali condemnatione, vel abſolutione, poſſit principaliter cognoſcere, & pronunciare ſuper actione ciuili ex crimine deſcendente, ad tradita *per Baldum in l.ſi pro fure, §.condictio ad finem. ver.item facit aliud, ff.de condictione furtiua, quem ſequutus eſt Cataldinus in tract. Syndicatus poſt num.*142. *quæſt.*216.*ver.adde quod ſi agitur de maleficio ciuiliter*. Quorum authoritate Rota Romana coram R.P.D. Robuſterio in vna Bononienſe nullitatis legitimationis de Sancto Pe-
8 tro Lunæ 28.Aprilis 1578.dixit non eſſe nullam ſententiam, in qua Iudex criminalis declarauit Inſtrumento tamquam de falſo ſuſpecto non eſſe adhibendam fidem, quamuis criminaliter, & de pœna non pronunciauerit.

Nam concluſio procedit quando ſola actio
9 ciuilis ex crimine deſcendens principaliter coram Iudice criminali intentatur, *vt poſt Boſſium in tit.de decreto Mediolani, num.*30.*declarat Farinac. in ſua praxi criminali quæſt.*1. *num.*65.*in fine, & conſ.*69.*num.*4. qui non eſt caſus noſter, cum hic non principaliter fuerit petitum condemnari ad deſiſtendum, ſed in conſequentiam, cùm principaliter fuerit petitum condemnari ad pœnas turbantium, & ſucceſſiuè ad deſiſtendum, quo caſu, vt dicit
10 *Boſſius vbi ſupra, num.*31. abſurdum eſſet dicere, quod contra formam petitionis Iudex poſſit, omiſſa condemnatione criminali principaliter intentata, ſuper ciuili actione incidenter petita cognoſcere, & pronunciare, ſecundum *Bartolum in l.interdum, §.qui furem, ff. de furtis*, cuius opinionem dixit communem *ex Felino & Aretino in locis per eum allegatis, & ſequitur Farinac. dicto conſilio* 69. *num.*5.

Et in hanc ſententiam eò libentius venimus, quia quando Doctores dicunt Iudicem criminalem poſſe ciuiliter condemnare intelligunt procedere, quando Reus eſt confeſſus, vel
11 conuictus per teſtes, *ad tradita per Ruinum conſ.*4.*num.*4.*lib.*4.*& poſt eum per Rolandum conſ.*34.*num.*18.*& ſeq. lib.*2.*& nouiſſimè per Farinacium dicta quæſt.*1.*num.*66.*verſ.ſecunda eſt declaratio*. Vnde cum in caſu noſtro dictus Petrus non ſolum non fuerit confeſſus, nec conuictus de prætenſa turbatione, ſed imò probauerit per tres teſtes, ſe reperiri in continua quaſi poſſeſſione tranſeundi per bona dicti Franciſci ab annis 30.40. & vltra ſcientibus, & patientibus anteceſſoribus dicti Franciſci, necnon ipſo D.Franciſco, vt deponunt dicti teſtes, quorum primus eſt annorum 75. & deponit ab annis 41.citrà, & ſecundus, qui eſt annorum 48.& tertius qui eſt annorum 54.
12 deponunt de tempore ab eorum recordatu, & ſic intret diſpoſitio ſtatuti 162. lib.2. in quo diſponitur, quod ſi quis non vi, non clam, vel præcario fuerit vſus aliqua via, itinere, ſeu actu ad eundum ad aliquod prædium ruſticum annis 30. ſine aliqua interruptione, intelligatur talem viam, iter, ſeu actum per præſcriptionem acquiſiuiſſe, ſumus in claris, quod condemnari non poterat ad deſiſtendum, cum
13 nulla fuerit probata turbatio, prout probari debebat ad effectum obtinendi prætenſam condemnationem, vt firmant poſt alios *Cornazan. deciſ.*38.*in principio, & Lepid. deciſ.* 92.*pariter in principio*.

14 Maximè cum non fuerit probatus dolus, ex quo non ſufficit probatio turbationis, niſi ſimul de dolo appareat, *Menoch. conſ.*230.*num.* 45. *Magon. deciſ.*54.*num.*4.*in Lucanis. Lepidus deciſ.*84. *ver.cenſuimus tamen, & deciſ.* 104.*colum.*2. *ver.tantum autem*.

Et conſequenter cum in præſenti caſu appareat, quod dictus Petrus ſtantibus prædictis, & iuncta diſpoſitione dicti ſtatuti 162. lib.2. iter fecit ſuper dictis bonis iure permittente, non poteſt prætendi, quod aliquo modo
15 turbauerit prædictum Franciſcum, nam turbare is non dicitur, qui iure permittente aliquid facit, & vtitur iure ſuo *ad tex. in l.nullus videtur, ff.de regul.iuris. Decian.conſ.*7.*num.* 93. *lib.*1. *Menochius de retinen. remedio* 3. *num.*629.*cum alijs per Maſcardum de probat. concluſ.*1191.*num.*18.

Imò ad excuſationem dicti Inquiſiti ſuffi-
16 ciebat ipſum habuiſſe iuſtam, & rationabilem cauſam credendi, quod id, de quo imputatur, facere potuiſſet, iure permittente, *Menochius dicto conſ.*230.*num.*36.*Honded. conſ.*95.*num.* 44.*lib.*2.*Maſcard.de probat. d.concluſ.*1191. *num.*12.*&* 16.

Et propterea quatenus etiam dictus Petrus
17 de iure ſuo plenè non probaſſet, ſufficiebat tamen pro illius abſolutione in præſenti Iudicio, quod ſimpliciter allegaret ſe eſſe in quaſi poſſeſſione tranſeundi ſuper dictis bonis, abſque aliqua probatione, hac enim oppoſitione facta, prout in caſu noſtro facta fuit non poterat amplius criminaliter moleſtari, ſed ciuiliter,

inter

Digitized by Google

inter partes agendum erat, vt benè conſiderat *Aymo conſ.280. ſub num.3. ver. ex quibus fundamentis*, quem refert, & ſequitur *Menoch. dicto remedio 3. num.626. Maſcard. de probat. dicta concluſione 1192. num.17. & Clarius Morot. conſ.8. ſub num.1.* Et conſequenter cum dictus Petrus habuerit, prout ex prædictis apparet, iuſtam cauſam credendi, quod iure permittente poſſet per dicta bona tranſire, ſumus in claris, quod non poterat à dicto D. Prætore condemnari ad deſiſtendum, ſed fuit benè per ipſum Iudicatum, dum dictum Petrum rebus ſic ſtantibus abſoluit à criminalitate, citra præiudicium iurium partium in Iudicio ciuili cognoſcendum.

Abſoluimus autem dictum D. Franciſcum ab expenſis, ex quo ſtantibus deciſionibus Le-
18 Spidi, & Cæſaris Barzij habuit aliquam cauſam appellandi *ad tex. in cap.1. in fine de election. in 6. l. qui ſolidum, §. etiam, ff. de legatis ſecundo; & vtrobique Doctores, cum ſimilibus.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA SPECT. IO. FRANCISCI Schiatti cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Arma poſſunt deferri ad ſui defenſionem, non autem ad offenſionem.

SVMMARIVM.

Reus vbi confeſſus eſt, vel conuictus nulla aliæ ſunt partes Iudicis niſi in condemnando, num.1.

Arma poſſunt deferri in eundo, & redeundo de rure, num.2.

Confeſſio propria ſuperat omnem probationem, num.3.

Arma poſſunt deferri ad ſui defenſionem, non autem ad offenſionem, num.4.

DECISIO X.

Dominus illuminatio mea.

PRONVNCIAVIMVS benè iudicatum per D. Prætorem dũ Spectabilem Io. Franciſcũ Schiattam condemnauit pro delatione enſis, & rotellæ in libras 57. cũ dimidio bonæ monetæ comprehenſo quarto pluri, quia cùm in proceſſu appareat tàm per ipſius cõfeſſionem,
1 quam per teſtes examinatos, quòd dictus Spect. Ioannes Franciſcus detulerit enſem, & rotellam contra formam ſtatuti, nullæ aliæ erant partes D. Prætoris, niſi in condemnando illum in dictam pœnam à ſtatuto impoſitam, *l. proinde, §. notandum, ff. ad leg. Aquiliam. Marſil. ſingul.201. Magon. deciſ. Lucen.13. num.9.*

Nec obſtat, quod cum dictus Spectabilis
2 Ioannes Franciſcus non potuerit condemnari in dicta pœna, ex quo dicta arma detulit redeundo de rure, quod erat ei permiſſum ex diſpoſitione ſtatuti *cap.208. verſic. inſuper lib.4.* quia quicquid dicant teſtes ad eius defenſam examinati, tamen certum eſt, quòd tàm ex ipſius confeſſione, quam ex teſtibus Curiæ clarè apparet, quod dictus Spect. Fran-
3 ciſcus è domo propria exiuit cum dictis armis ad effectum rixandi, cum illis, de Quilicis, prout cum illis rixauit in Platea Dominorum de Barſottis, & Confeſſio propria ſuperat omnem probationem, *l. cum te, C. de probationibus.*

Nec dicatur, quod potuerit arma deferre
4 ad ſui defenſionem, quia tantum abeſt, quod ex proceſſu appareat, quod ipſe fuerit inſultatus, quod potius conſtet, quod ipſe prouocauit dictos de Quilicis, dum deambulans verſus Domum dictorum de Quilicis dixit illis *Io vado ſolo, e non faccio ſquadriglie, Chi vuol qualche coſa da me venghi ad vno ad vno,* prout deponunt teſtes Curiæ, & conſequenter cum ceſſent quæ dicebantur de delatione armorum ob ſui neceſſariam defenſionem. Meritò dicta ſententia fuit à Rota confirmata. Et ita deciſum.

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA D. ISABELLÆ Fredianæ cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Decretum emanatum contra Ciues Lucenſes baculo offendentes alios Ciues, an habeat locum in fœminis baculo offendentes Ciues Lucenſes?

SVMMARIVM.

Decretum emanatum contra Ciues Lucenſes baculo offendentes alios Ciues non habet locum in fœminis, num. 1.

Maſculinum in ſtatutis & præcipuè odioſis, & exorbitantibus à iure communi non concipit fœmininum, num. 2.

Maſculinum ex diſpoſitione ſtatuti Lucen. concipit fœmininum, num. 3. *Declaratur procedere in ſtatutis loquentibus de maleficijs, non autem in extrauagantibus longè poſtea editis, num.* 4.

Decreta extrauagantia ſecundum communem vſum loquendi non veniunt appellatione ſtatutorum, num. 5.

Communi vſui loquendi in materia ſtatutorum inhærendum eſt, num. 6.

Statuta pœnalia debent ſtrictè, & propriè intelligi omne penitus extenſione reiecta, numero 7.

Statutum quod Maſculinum concipiat fœmininum recipit interpretationem paſſiuam à iure communi, num. 8.

Maſculinum de iure nunquam concipit fœmininum, quoties materia, de qua agitur ex communi conſuetudine non ita conuenit fœminis, ſicut maſculis, & quando in fœminis non concurrit veroſimilis intentio ſtatuentis ea præſertim de cauſa, quia diuerſa ratio militet in maſculis, ab ea, quæ militet in fœminis, num. 9.

Ratio expreſſa in procemio alicuius decreti dicitur finalis, num. 10.

Ratio finalis in ipſomet decreto expreſſa reſtringit decretum ſolùm ad illos, quibus ratio illa applicatur, num. 11.

Qualitas adiecta in conſtitutione pœnali, & in inquiſitione inſerta probari debet à fiſco, vt poſſit eſſe locus pœna in conſtitutione pœnali contenta, num. 12.

Præſumptio præſumptiua qualitatis in conſtitutione pœnali contenta non ſufficit ad condemnandum in pœnam in conſtitutione pœnali contentam, num. 13.

Ciuilitas perſonæ offenſæ debet per fiſcum iuſtificari, ad hoc, vt poſſit ex dicta qualitate in conſtitutione pœnali adiecta condemnari, num. 14.

Iniuria, & verba contumelioſa illata in virum, quæ principaliter, & maximè tangunt honorem vxoris excuſant valdè vxorem ab offenſa per illam illata contra iniuriantem Maritum ſaltem ad effectum, vt mitiori pœna, quam ordinaria puniri debeat, etiam ſi moderamen inculpatæ tutelæ exceſſiſſet, num. 15.

Honore nihil in hoc Mundo precioſius reperitur, num. 16.

Honor pari paſſu ambulat cum vita, numero 17.

Famam ſuam qui negligit dicitur crudelis, numero 18.

Prouocatio non excuſat offenſam ex interuallo factam, num. 19.

Offenſa facta die immediatà ſequenti non dicitur facta ex interuallo, num. 20.

Proceſſus criminalis debet eſſe ſubſcriptus ab actuario cum atteſtatione integritatis illius ad effectum, vt Iudices appellationum poſſint de eo cognitionem ſumere, quod ſi non reperiatur ſubſcriptus, & non ſit facta fides de integritate illius, appellatio intelligitur deſerta, num. 21.

Productio verbalis non facit productionem eſſe de actis, num. 22.

Productorum debet dari copia cum termino ad opponendum, num. 23.

Contra decretum notorium nihil opponi poteſt, num. 24.

Ad opponendum quis non debet admitti vbi oppoſita non releuant, num. 25.

Citatio licèt ſit in omni actu neceſſaria tamen non requiritur, quando certum eſt aduerſario nullam competere defenſionem, numero 26.

Ab expenſis abſoluit Iudex in proceſſu nullitatis, quando pars habet bonum ius ſuper meritis, num. 27.

DE-

DECISIO XI.

Dominus illuminatio mea.

SENTENTIAM Domini Prætoris, qua mediante condemnauit D. Iſabellam Fredianam in pœnam exilij per quinquennium more diſculorum iuxta tenorem decreti editi ab Excellẽtiſſimo Cõſilio de anno 1600. ſub die 31. Auguſti, contra Ciues baculo offendentes alios Ciues, ex quo d. D. Iſabella baculo percuſſit D. Stefanum Orſettum, Reformandam eſſe exiſtimauimus, & dictam D. Iſabellam condemnandam eſſe in pœnam pecuniariam, & illam quidem exiguam, & hoc ex pluribus fundamentis.

Primò, quia decretum emanatum contra ciues baculo offendentes, cuius vigore fuit dicta
1 D. Iſabella condemnata loquitur per verba
maſculini generis dum dicit, *Se alcun Cittadino percoterà altro Cittadino con baſtone*, quod
propterea ad fœminas trahi non poteſt. Nam
2 certum eſt Maſculinum in ſtaturis, & præcipuè
odioſis, & exorbitantibus à iure communi non
concipere fœmininum, *l. quiſquis, §. filiarum,
C. ad leg. Iuliam Maieſtatis Bartol. in l. 1. ff.
de verborum ſignific. & in l. ſi quis in tantam,
C. vnde vi. Alex. conſ. 84. colum. 1. lib. 4. Tiraquell. de retractu lignag. §. 1. gloſ. 9. nu. 186.
& pluribus ſequentibus. Honded. conſ. 7. num.
15. l. 2. cum alijs per Gabriel. de verborum ſignific. concluſ. 6. num. 65.*

Nec obſtare putabamus, quod ſtatutum *in
3 cap. 58. dicti libri 4. circa finem* diſponat in
Statutis Maſculinum concipere fœmininum,
quia illud intelligi debet prout loquitur, videlicet in ſtatutis loquentibus de Maleficijs non
4 autem in Decretis extrauagantibus longè poſtea editis, quæ non veniunt appellatione ſta-
5 tutorum ſaltem ſecundum communem vſum
6 loquendi, cui præcipuè in hac materia eſt inhærendum ad vulgatam *l. de Fanionis, §. Aſinam, ff. de fundo inſtructo & inſtrum. legato.
Alex. conſ. 42. num. 15. lib. 1. & clarè diſponi-
7 tur in ſtatuto cap. 9. lib. 1.* Et facit etiam, quod
ſtatuta pœnalia ſtrictè, & propriè debent intelligi omni penitùs extenſione reiecta ad Maſcardum de generali ſtatutorum interpretatione *concluſ. 4. num. 51. & 123. cum vulgaribus.*

Conſiderabamus præterea Statutum prædictum in ea parte, in qua diſponit Maſculi-
8 num concipere fœmininum, recipere omni caſu paſſiuam interpretationem à iure communi *ad text. in l. 2. C. de noxali. l. 1. §. lex Falcidia,
vbi Bartol. & Alex. ff. ad leg. Falcidiam. Bart.
in l. omnes populi, vbi Crotus, nu. 294. de communi, ff. de iuſtitia & iure. Corneus conſ. 11.
per totum lib. 1. cum alijs per Tiraquellum de
retract. lignag. §. 1. gloſ. 9. num. 188. & ſequitur Rota Romana deciſ. 724. num. 15. & 16.
par. 1. diuerſorum.*

De iure autem certum eſt, quod nunquam
9 Maſculinum cõcipit fœmininum, quoties materia, de qua agitur, ex communi conſuetudine, non ita conuenit fœminæ, prout conuenit
maſculis, & quando in fœmina non concurrit
veroſimilis intentio diſponentis, ea præſertim
de cauſa, quia diuerſa ratio militet in maſculis
ab ea, quæ militet in fœminis, vt conſiderarunt
Corneus vbi ſupra; & plenius Gabriel. de verborum ſignific. dicta concluſ. 6. num. 51. 62. & 86.
quæ omnia optimè adaptantur ad caſum no-
10 ſtrum attenta præſertim ratione dicti decreti
in illius procemio expreſſa, videlicet *Per rimediare al diſordine dell'offeſe, che tra Cittadini,
da certo tempo in quà hà fatto molto progreſſo,*
quæ ad Mulieres applicari non poteſt, & cum
finalis ſit, vt colligitur ex traditis *per Surdum
conſil. 340. num. 29. & Menoch. de præſumpt.
lib. 6. præſumpt. 2. num. 12.* & ſit in ipſomet
11 decreto expreſſa vtique ipſa ſola poſſet diſpoſitionem dicti Decreti ad ſolos maſculos reſtringere, iuxta tradita *per Albam conſil. 770.
nu. 42. & 43. Socin. iun. conſ. 9. num. 21. lib. 3.
& Surdum conſ. 322. num. 13.*

Secundum autem principale fundamẽtum
reformationis ſententiæ D. Prætoris illud fuit,
quia in proceſſu non vidimus probatum, quod
dictus Stephanus eſſet Ciuis prout loquitur dictum decretum. Et tamen ad effectum, vt
poſſit eſſe locus pœnæ contentæ in conſtitutio-
12 ne pœnali, debet qualitas in conſtitutione pœnali adiecta, & in inquiſitione inſerta, probari,
& iuſtificari à fiſco, *l. 2. §. docere, de vi bonorum
raptorum. Vulpell. conſil 32. num. 5. Farinac.
conſ. 155. nu. 6. lib. 2. Barzius deciſ. 156. nu. 3.*
13 vbi ſubdit præſumptionem præſumptiuam ad
effectum, de quò agitur non releuare, & in ſpe-
14 cie de qualitate Ciuilitatis perſonæ offenſæ,
quod debeat per fiſcum iuſtificari, ad hoc, vt
quis poſſit ex dicta qualitate in conſtitutione
15 pœnali adiecta condemnari, tradit *Natta conſ.
254. num. 2. relatus à Merlino deciſione 31. in
vltimis verbis, & plenè Cornuzzanus deciſione*

ne

Digitized by Google

ne 92. num. 2. cum pluribus ſequentibus.

Tertiò, quia quatenus omnia prædicta ceſ-
ſarent, adhuc non poterat d. D. Iſabella pęna
ordinaria dicti Decreti puniri, attentis gra-
uiſſimis iniurijs à dicto Stephano illatis con-
tra dictum Laurentium eius virum medianti-
bus quamplurimis verbis contumelioſis ab eo,
primo loco prolatis, vt colligitur ex depoſitio-
ne quarti teſtis, quæ principaliter, & maximè
tangebant honorem d. D. Iſabellæ, ex quibus
15 potuit iuſtè moueri ad iram, & ad offenſam
prouocari, quo caſu ſi non in totum excuſanda
ſaltem mitiori pęna, quã ordinaria puniri de-
bebat, etiam ſi moderamen inculpatæ tutelæ
exceſſiſſet per ea, quæ tradit, & plenè deducit
Farinac. de pœnis temperandis, quæſt. 91. nu. 7. & 8. Barzius deciſ. 133. nu. 5. Lepid. deciſ. 14.
16 *per totum*, cum nihil in hoc Mundo reperiatur
præcioſius honore *ad leg. Iulianus, vbi Docto-
res, ff. ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti*, adeò vt
17 ambulet pari paſſu cum vita, *l. iuſta, ff. de ma-*
18 *numiſſis vindicta*, & crudelis dicatur qui fa-
mam ſuam negligit, vt habetur *in l. Miles, §. ſocer, ff. de adult.*

Nec ad hoc reſiſtere viſum fuit, quod dice-
19 batur prouocationem non excuſare offenſam
ex interuallo factam, quia, in caſu noſtro non
20 poterat dici ex interuallo facta, cum fuerit fa-
cta die immediata ſequenti, *vt per Menochium
conſ. 107. nu. 40.* quem refert & ſequitur *Barz.
deciſ. 132. num. 30.* qui etiam ſuperius alia ſcri-
bit optimè conferentia huic caſui, & faciunt
tradita *per Farinacium de homicidio quæſt. 125. num. 31. cum alijs ab eo relatis, & ego dixi ſu-
pra hic in deciſ. 7. num. 7.*

Verùm quia pro parte fiſci allegabatur pro-
21 ceſſum non fuiſſe ſubſcriptum à Notario, qui
rogatus fuit de proceſſu, & ſententia, & fidem
faceret de eius integritate, prout requirit de-
cretum Excellentiſſimi Conſilij editum ſub
die 23. Nouembris 1604. prout illum non eſ-
ſe ſubſcriptum vidimus ex reuolutione pro-
ceſſus, ad tradita *per Bald. in l. ſi contra, num. 3. C. de appellat. Afflict. deciſ. 107. num. 5. & per
Rotam Romanam deciſ. 64. num. 2. par. 1. diuer-
ſorum.* Ideò non potuimus dictam ſenten-
tiam reformare, ſed opus fuit appellationem
deſertam declarare iuxta formam dicti decre-
ti, prout illam deſertam declarauimus.

Nec obſtare putauimus, quod in actis lege-
retur dictum proceſſum fuiſſe productum ſub-
ſcriptum, quia cum ex inſpectione illius non
ſolum non appareret ſubſcriptus, ſed quod
magis eſt tam ex fide Cancellarij D. Prætoris
inſcriptis, quam oretenus facta coram nobis,
conſtaret non fuiſſe extractam niſi vnicam co-
piam dicti proceſſus, & quod illa non fuit ab
eo authenticata, nec ſubſcripta, cognouimus
22 dictam aſſertam productionem fuiſſe tantum
verbalem, quæ propterea non potuit per nos
attendi, nec in aliqua haberi conſideratione,
*vt poſt Nattam conſilio 140. num 2. tradunt
Cartarius deciſione Genuæ 31. numero 45. &
Caſar de Barzijs deciſione decimaſeptima, nu-
mero 26.*

Prout nec aliquid facere exiſtimauimus,
23 quod dicebatur decretum non eſſe exhibitum
in tempore, quo poſſet haberi copia dicti
Decreti, cum termino ad opponendum, cum
eſſet productum in fine inſtantiæ, & in cal-
culo ferendæ ſententiæ, quia cum dictum de-
cretum eſſet notorium omnibus Curialibus, &
24 contra illud nihil opponi poſſet, quod re-
leuaret, ſatis potuimus ſuper illo fundare
noſtram ſententiam abſque eo, quod de il-
lo pars haberet copiam ad opponendum,
25 nam ad opponendum quis non debet ad-
mitti, vbi oppoſitum non releuat, *argumen-
to l. ad probationem, C. de probationibus. Gloſ.
in cap. cum contingat, de officio delegati. Cor-
ſetus ſingul. 158. in ver. Iudex*, Et facit quod
26 in ſimili dicitur de citatione, quæ licet ſit in
omni actu neceſſaria, tamen non requiritur
quando certum eſt aduerſario nullam compe-
tere defenſionem *ad textum in l. qui poteſt
inuitis vbi Decius, numero ſecundo, verſic. &
per iſtam regulam infertur, ff. de regulis iu-
ris. Bartolus in l. 3. §. ſi cauſa, numero 7.
ver. nam cum eo contradicente, ff. de bonorum
poſſeſſione. Oldradus conſilio 95. numero de-
cimoſeptimo in fine, cum alijs per Gabrielem
de citation. concluſione prima, limitatione 16.
lib. 2.*

27 Dictam autem Dominam Iſabellam ab ex-
penſis abſoluimus ſtante illius bono iure ſu-
per meritis *ad textum in capitulo primo in
fine de electione in ſexto, & l. qui ſolidum, §.
etiam, ff. de legatis ſecundo.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA D. ANGELÆ *Blanchæ cum Fiſco.*

ARGVMENTVM.

Delicta an aggrauentur ex loco, & tempore?

SVMMARIVM.

Locus & tempus aggrauant delicta, num. 1.

Mala omnia debemus pati potius, quam peccato conſentire, num. 2.

Malum ad bonum finem fieri non debet, numero 3.

Mala non ſunt facienda vt eueniant bona, numero 4.

Iuſta quæ ſunt iuſtè quærere debemus, & non per illicitos modos, num. 5.

DECISIO XII.

Dominus illuminatio mea.

CONDEMNATIONEM factam de D. Angela Blanca ad ſoluẽdum libras 80. bonæ monetæ, & ad permanendum in Domo propria per ſex menſes, ita vt ab ea exire non poſſet ſub pœna non ſeruantis relegationem propter vulnera ab ea illata in perſonam D. Appolloniæ vxoris Spect. Aſcanij Lommori in Eccleſia Sancti Frediani, dum celebrarentur Miſſæ, & diuina officia, licèt iuſtè arbitrata fuiſſe co-
1 gnouerimus, cum locus, & tempus aggrauant delicta *argumento tex. in l. aut facta*, § *locus de pœnis*, tamen illam confirmare placuit cum hoc moderamine, quod dicta D. Angela poſſit ab eius Domo exire omnibus diebus Dominicis, & alijs feſtiuis iuxta pręcepta Sanctę Matris Eccleſiæ vſque ad ſonum Aue Mariæ Meridiei, & hoc vt poſſit liberè accedere ad audiendam Miſſam, quam vnuſquiſque Chriſti fidelis tenetur in dictis diebus audire ſub præcepto peccati mortalis, cum mala omnia de-
2 beamus potius pati, quam peccato conſentire, *cap. ita ne. 32. quæſt. 5. & c. ſacris, de eo, quod*
3 *metus cauſa*, adeò vt ſi malum eſſet factum ad bonum finem, adhuc fieri non debeat, cùm non
4 ſint facienda mala, vt eueniant bona, & quæ
5 iuſta ſunt, iuſtè quærere debemus, & non per illicitos modos *ad tradita per Surdum deciſione 158. num. 8.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA COMMVNITATIS *Sancti Laurentij ad Vaccoles, cum Veneranda Domina Tinuccia Mutroni.*

ARGVMENTVM.

Statutum Lucenſ. 177. lib. 4. diſponens quod, & quando damnificator in quocunque damno dato per modos à ſtatutis ordinatis reperiri, & ſciri non poteſt per officiales damna denunciare debentes, damnum debeat emendari per Communitatem, an habeat locum in damno dato in animantibus ratione carentibus?

SVMMARIVM.

Statutum Lucenſ. 177. lib. 4. dum diſponit quod, vbi, & quando damnificatur in quocunque damno dato reperiri non poteſt, damnum debeat emendari per Communitatem loquitur in terris, & rebus alienis cultiuatis, & non in animantibus ratione carentibus, num. 1.

Ex diuerſis non fit illatio, num. 2.

Nigrum ſtatuti quando eſt generalius rubro tunc attenditur non quod in rubro, ſed quod in nigro diſponitur, num. 3.

Verbum quodcunque eſt vniuerſale, & comprehendit quamcunque generalitatem, num. 4.

Propter generalitatẽ dictionis, quodcunque, diſpoſitio trahitur etiam ad caſus, qui alias de ſui natura non comprehenderentur, numero 5.

Propter dictionem quæcunque alia, appoſitam à Teſtatore in legato facto eius vxori, de eius ornamentis non ſolum veniunt ornamenta, ſed etiam veſtimenta, & quæcunque alia ad vſum, & ornamentum vxoris deſtinata, numero 6.

Ni-

Nigrum vbi eſt clarum non recipit reſtrictionem à rubrica, num.7.

Verba clara omnem tollunt diſputationem, numero 8.

Generalitas verborum nigri reſtringitur ad qualitatem adiectam in rubrica, num.9.

Qualitas contenta in rubrica cenſetur repetita in nigro, num.10.

Proœmium diſponentis cauſam finalem demonſtrat, num.11.

Præfatio dat intellectum toti legi, num.12.

Verba indefinita, & generalia ſtatuti reſtringuntur à proœmio, & à ratione ibi expreſſa, num.13.

Cauſa finalis collecta ex proœmio diſpoſitionis cenſetur repetita in ſequentibus, num.14.

Nigrum eſt attendendum vbi eſt generalius rubro, & non rubrum, num.15.

Intellige verum vbi verba generalia nigri, ſiue diſpoſitiuæ generalis ſubſequentis ſunt talia, quæ reſtringi non poſſunt ad terminos rubricæ, ſeu præfationis ſpecialis, Cæterum quando ſequens diſpoſitio reſtringi poteſt à præcedenti rubrica, & præfatione ſpeciali, quia adæquata inter ſeſe reperiantur, præterquam in hoc, quod ſcilicet Rubrica, & præfationes ſint ſpeciales, Verba autem diſpoſitiua ſint generalia; quia hoc caſu verba generalia diſpoſitiua ſunt limitanda ad terminos rubricæ, & præfationis, num.16.

Verba generalia ſæpiſſimè, & pluribus ex cauſis reſtringuntur, num.17.

Media declarantur ab extremis, num.18.

Diſpoſitio ex eo, quod ſit generalis non dicitur clara, ſed dubia, & propterea eſt reſtringenda à rubrica, & præfatione, num.19.

Communitas non tenetur de damnis datis de nocte, num.20.

Confeſſio procuratoris nocet parti, quando non fuit doctum rem aliter ſe habere, num.21.

Communitas tenetur de damnis datis etiam de nocte quando tenetur ad cuſtodiam, num.22.

Communitas quando tenetur ad cuſtodiam tenetur de incendio commiſſo de nocte, quia hoc caſu etiam ignorantes tenentur, licèt ſecus ſit quādo quis tenetur tantū in ſubſidium, n.23.

Intellige verum quando Communitas teneretur ad cuſtodiam ex contractu, ſeu conuentione, cæterum ſi non teneretur ex contractu, & conuentione, ſed tantum ex officio ſibi iniuncto ex neceſſitate ſine mercede, quia hoc caſu non tenetur de damnis datis de nocte, ſed eū facilius ſubueniendum eſt, num 24.

Intellige ſecundo niſi ſtatutum vellet, quod illi, qui tenentur ad cuſtodiam non teneantur, ſi commodè denunciare non poſſent, quippè quia ignorauerint, vel ignorare potuerint damnum, num.25.

Statutum quod vult illos, qui tenentur ad cuſtodiam, non teneantur ſi commodè denunciare non poſſent, ex quo ignorauerint, vel ignorare potuerunt damnum, videtur quod noluerit punire ignorātes, ſed tantū ſcientes, n.26.

Ea quæ fiunt de nocte præſumuntur ignorari, & abſque culpa contingunt cum eis reſiſti non poſſit, num.27.

Ab expenſis abſoluitur habens primam ſententiam pro ſe, ſi poſtea ſuccumbat, num.28.

DECISIO XIII.

Dominus illuminatio mea.

ROTA cenſuit reuocandam eſſe ſententiam D. Prætoris, qua mediante condemnauit Communitatem Sancti Laurentij ad Vaccoles, ad ſoluendum D. Tinucciæ Muttoni ſcuta ſeptem de libris ſeptem, & ſolidis decem pro quolibet ſcuto, pro damno dato in quodam eius vitulo, & abſoluendā eſſe dictam Communitatem, prout eā abſoluit à dicta condemnatione, & hoc ex duobus principalibus fundamentis. Et primo, quia licet ſtatutum
1 *in cap.177.lib.4.* cuius beneficium fuit à dicta D. Tinuccia intentatum in ver. decernentes, diſponat, Quod vbi, & quando damnificator in quocunque damno dato per modos à ſtatutis ordinatos reperiri, & ſciri non poſſet per Officiales damna denunciare debentes ſecundum formam ſtatutorum, prout non potuit reperiri in præſenti caſu, Tunc debeat emendari damnum per Communitatem illam, in qua damnum illatum eſſet, damnum paſſo, tamen dictum ſtatutum non loquitur in damnis datis in animantibus ratione carentibus, ſed in damnis datis in Terris, & rebus alienis, cultiuatis, vt apertè legitur tam in rubrica dicti ſtatuti 177. quam in principio illius, qui
2 non eſt caſus noſter, & propterea de vno ad aliud inferri non poteſt *ad vulgatam l. Papinianus, ff. de minoribus.*

Nec dicatur, quod cum Nigrum dicti ſtatuti in d. ver. decernentes ſit generalius rubro, cum non loquatur de damnis datis in Terris,

Digitized by Google

& rebus cultiuatis, prout loquitur rubrica, &
diſponitur in initio illius ſtatuti, ſed genera-
liter de quocunque damno dato, quod reperiri
non poteſt per modos à ſtatutis ordinatos, &
habeamus aliud ſtatutum in cap. 183. eiuſdem
libri, quod loquitur de damnis datis in ani-
mantibus ratione carentibus, ſatis dictum ſta-
tutum 177. comprehendat etiam caſum huius
3 ſtatuti 183. ſi quidem, quando nigrum eſt ge-
neralius rubro tunc attendatur non quod in
rubro, ſed quod in nigro diſponitur, *Gloſ. in au-
thent. de inceſtis nuptijs in principio in ver. illi-
citis, quam ſequi videntur communiter Docto-
res in l. 1. ff. ſi certum petatur, & poſt alios Al-
ba conſ. 558. num. 18.*

Maximè cum verba nigri ſint clara, pon-
derando illud verbum, In quocunque dam-
4 no, quod eſt vniuerſale, & comprehendit om-
nem generalitatem, *Baldus in l. cum virum,
C. de fideicommiſſis, cum alijs per Gozzadi-
num conſilio 8. num. 24. & conſilio 6. num. 42.*
vbi dicit quod propter generalitatem dictio-
5 nis, Quodcunque, diſpoſitio trahitur etiam ad
caſus, qui alias de ſui natura non comprehen-
derentur, *& ſequitur Socinus ſen. conſil. 10.
nu. 9. lib. 1.* vbi dicit, quod per dictionem quæ-
6 cunque alia, de qua in ſuo caſu teſtator non
ſolum voluit deberi vxori ornamenta, ſed
etiam veſtimenta, & quæcunque alia ad vſum,
& ornamentum vxoris deſtinata, nam vbi Ni-
7 grum eſt clarum, tunc non recipere reſtrictio-
nem à rubrica, ſed ſtatutum intelligitur prout
verba nigri ſonant, *Ripa in l. 1. num. 15. & ibi
Iaſ. num. 6. ff. ſi certum petatur. Alex. conſil.
59. num. 11. lib. 1. Roman. conſil. 16. num. 4.*
8 omnis enim tollitur diſputatio, vbi verba cla-
ra promulgantur *ad tex. in l. ancillæ, C. de fur-
tis, Becius conſ. 12. num. 1. & ſeq. Magon. in
deciſ. Lucan. 70. num. 4.*

Quia reſpōdetur, quod generalitas illorum
9 verborum, In quocunqne damno debet reſtrin
gi ad qualitatem adiectam in rubrica, & ſic vt
ſtatutum procedat in quocunque damno dato
in terris, & alijs rebus cultiuatis, de quibus lo-
10 quitur rubrica dicti ſtatuti, & ipſum ſtatutum
in principio, quia iſta qualitas in nigro reperi-
ta cenſeri debet, *ad Socinum conſ. 24. num. 1.
cum ſeqq. l. 4. Caphalum conſilio 55. num. 6.
Surdus conſil. 163. num. 11. & 12.*

11 Procemium enim diſponentis cauſam fina-
lem demonſtrat *l. fin. vbi Bart. Baldus & cæ-
teri communiter, ff. de hæredibus inſtituendis.
Rolandus conſilio 49. num. 43. lib. 1. Tiraquel-
lus in tract. cauſa ceſſante, limitatione prima,
numero 64. Becius conſilio 20. num. 15. & ſe-
quitur Baldus in l. regula, in principio, ff. de
iuris, & facti ignorantia*, vbi dicit præfa-
12 tionem dare intellectum toti legi, & in ter-
13 minis, quod verba indefinita, ac generalia
ſtatuti reſtringantur à proœmio, & ratione
ibi expreſsa tradit, & pluribus confirmat
*Molina de primog. Hiſpan. lib. 1. cap. 5. nume-
ro 4. 5. & 6. Decius reſponſo 5. numero 41.
& reſponſo 23. num. 3. & reſponſo 67. nume-
ro 9. lib. 4. Barzius deciſione 96. num. 2. vbi
14 citat Surdum conſil. 210. num. 28.* & tenet cau-
ſam finalem collectam ex proœmio diſpoſitio-
nis cenſeri repetiram in ſequentibus.

15 Nec obſtat illud, quod dicebatur, quod vbi
nigrum eſt generalius rubro, tali caſu nigrum
ſit attendendum, & non rubrum, quia illud
procederet vbi verba generalia nigri, ſiue di-
16 ſpoſitiuæ generalis ſubſequentis ſunt talia,
quæ reſtringi non poſſent ad terminos rubri-
cæ, ſeu præfationis ſpecialis. Cœterum quan-
do ſequens diſpoſitio reſtringi poteſt à præ-
cedenti rubrica, & præfatione ſpeciali, quia
adæquata inter ſeſe reperiantur, præterquam
in hoc, quod ſcilicet Rubricæ, & præfationes
ſint ſpeciales, Verba autem diſpoſitiuæ ſint
generalia, nam hoc caſu non poteſt dubitari,
quin verba generalia diſpoſitiuæ ſint limi-
tanda ad terminos rubricæ, & præfationis, vt
tradunt *Molina de primog. Hiſpan. dicto lib. 1.
cap. 5. num. 4. 5. & 6. Decianus dicto reſpon-
ſo 5. Barzius dicta deciſ. 96. Surdus conſilio
210. num. 28.* Et in puncto magiſtraliter de-
clarauit *Socinus dicto conſilio 24. numero 1.
2. 3. & 4. ver. tamen puto lib. 4. & ſequi-
tur Cephalus dicto conſilio 55. numero 6.* Vl-
17 tra quod non eſt nouum verba generalia ſæ-
piſſimè, & pluribus ex cauſis reſtringi, vt la-
rè probat *Simon de Pretis de interpretatione
vltimarum voluntatum lib. 2. folio 174. & 175.
ſolut. 3.*

Accedat prædictis, quod cum nō ſolum ru-
brica dicti ſtatuti 177. & illius initium loqua-
tur de damnis datis in Terris, & rebus alienis
cultiuatis, ſed etiam in fine illius de huiuſmodi
damnis loquatur, vt patet ex illis verbis, cum
poſſeſſore, vel colono Terræ, in qua damnum
fuerit illatum, ita etiam debent intelligi illa
verba in quocunque damno in medio dicti
18 ſtatuti poſita, cum media declarentur ab ex-
tremis *l. reos, §. cum in tabulis, de duobus
reis capitulo ex parte de reſcriptis. Gloſ. in
cap.*

cap. accedens in ver. temporis, de conuerſ. coniugat. Bartol. in l. Celſus, num. 16. de vſucapionibus cum alijs per Felinum in cap. inter dilectos, num. 5. circa medium, de fide inſtrumentorum, & per Afflictum deciſ. 195. in fine.

Nec obſtat quod dicebatur, quod vbi nigrum eſt clarum tunc non recipit reſtrictionem à rubrica, & quod claritas deducebatur ex generalitate illorum verborum: In quocunque
19 damno quia immò diſpoſitio ex eo quod ſit generalis non dicitur clara, ſed dubia, & propterea reſtringendam eſſe à rubrica, & præfatione *tradunt Socin. Cephalus, & Surdus ſupra relati cum alijs per Barzium deciſ. 96. n. 2.*

Secundò principaliter dictam Communi-
20 tatem cenſuimus abſoluendam à dicta condemnatione, quia agebatur de damno dato de nocte in dictum vitulum, quo caſu Communitas non tenetur. *Bart. & Angel. in l. 1. §. acceſſorem ver. ſi autem damnum, ff. ad Syllan. Roman. conſ. 7. & Dec. conſ. 64. col. 3. ver. cum ergo. Plotus in l. ſi quando in ver. damno dato, C. vnde vi. Oſach. deciſ. 88. num. 11. iuncto num. 32. & ſub num. 34. ver. nec dicatur, & deciſ. 138. num. 33. & 34. & poſt alios Carpan. ad ſtatutum Mediolani lib. 2. cap. 375. num. 41.*

Quod autem in caſu noſtro dictũ damnum fuerit illatum de nocte patet ex cõfeſſione procuratoris ipſius D. Tinucciæ, dum ſub die 21. Ianuarij anni præteriti petijt ſibi iuramentum in ſupplementum deferri, attento quod ſatis erat iuſtificatum damnum prædictum fuiſſe datum de nocte, cuius confeſſio ſatis probat
21 contra d. D. Tinucciam, cum non fuerit oſtenſum rem aliter ſe habere, *Gloſ. in cap. 1. in ver. non negauit de poſtulat. prælatorum. Speculator de confeſſis, §. nunc videndum ver. ſed nunquid de confeſſis, num. 4. & §. poſtremò ver. ſi verò per procuratorem. num. 2. Bellamera deciſ. 164. & Oldradus conſil. 126.*

Nec obſtat, quod prædicta concluſio non procedat quando Communitas tenetur ad
22 Cuſtodiam, prout tenetur in caſu noſtro, ex diſpoſitione ſtatuti 179. & 182. *lib. 4.* nam hoc caſu tenetur etiam de damno dato de nocte *ad tex. in l. in nomine Domini, §. in Sardinia, ibi, die, noctuque, ff. de officio præfecti prætorio, & tradita per Alexand. de Neuo conſil. crim. 93. per totum lib. 1.* vbi dicit Commu-
23 nitatem teneri de incendio commiſſo de nocte, *& per Burſatum conſil. 59. num. 28. lib. 1.* vbi dicit Romanum, Decium, & alios in contrarium allegatos procedere, vbi quis in ſubſidium tantum tenetur, & non vbi quis tenetur ad cuſtodiam, quia hoc caſu etiam ignorantes tenentur, Quia reſpondetur hoc procedere, quando Communitas teneretur ad cuſtodiam ex contractu, ſeu conuentione, Cæterum ſi non teneretur ex contractu, ſeu conuentione, prout non tenetur in caſu noſtro, in quo tenetur tantum ex officio ſibi ex neceſſitate iniuncto ſine mercede, quia hoc caſu non tenetur de damnis
24 datis de nocte, ſed ei facilius ſubueniendum eſt *arg. l. ſi fideiuſſor, §. neceſſaria, ff. qui ſatiſdare cogantur, & l. ſi vt certo, §. nũc videndum, ff. commodati, & in puncto tradit Apoſtillator ad Baldum in l. ſi quis non dicam rapere ſub nu. 5. in litera B. ver. poſſet cuſtodire, ibi ſed Andreas in l. 1.* per quam doctrinam ita etiam comperimus fuiſſe alias pluries deciſum in hac Rota, & præcipuè de anno 1607. in vna cauſa Antonij Guarnerij, prout videri poteſt in libro Egregij Ser Ludouici Garzonij illius anni, & poſtea in cauſa Communitatis Sãcti Macarij.

Secundò dicimus dictam concluſionem non
25 procedere, quando ſtatutum vellet, quod illi, qui tenentur ad Cuſtodiam non teneantur ſi commodè denunciare nõ poſſent, quippè quia ignorauerint, vel veriſimiliter ignorare potuerint damnum, prout apertè legitur in ſtatuto 182. *dicti lib. 4. in ver. & hæc, quæ diximus,* vbi dicitur, quod quæ dicta fuerunt de damnis denunciandis debent intelligi ſi Commune, vel eorum Cõſules, ſiue Syndici vel cuſtodes commodè denunciare poſſent, Si verò ignorarent, & veriſimiliter ignorare poſſent nomina inferentium damna liberentur à dicta pœna, Quia
26 cum hoc caſu appareat ſtatutum non voluiſſe eos puniri, vti ignorantes, ſed quaſi ſcientes, aut facilè ſcire volentes *ad Decium conſil. 64. num. 5. Oſaſchum dicta deciſ. Pedem. 88. nu. 11.* certum eſt, quod noluerit teneri de damnis datis de nocte, cum ea, quæ noctis tempore fiunt præſumantur ignorari, & abſque culpa contingant, cum eis reſiſti non poſſit *ad tradita per Oſaſchum d. deciſ. 88. num. 11. & melius deciſ. 138. num. 23. ad finem, & num. 24. iuncto num. 33. in fine, & num. ſeq. & fuit alias conſideratum in allegata cauſa Antonij Guarnerij.*

Dictam autem D. Tinucciam ab expenſis abſoluimus, quia habebat primam ſententiam pro ſe, *ad tradita per Veraldum deciſ. 292. & Rotam Romanam deciſ. 251. alias 10. de dolo, & contum. in nouis, & deciſ. 770. p. 1. diuerſorum.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA DOMINICI NICOLAI Sanctori, & Auguſtini Ioſephi Murſi cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Pax an conferat ad diminuendam pœnam?

SVMMARIVM.

Vbi non eſt delictum ibi non debet eſſe pœna, num. 1.

Pax multum confert ad diminuendam pœnam, num. 2.

Teſtis vnicus in criminalibus facit tantum indicium, num. 3.

Mitiganda eſt ſententia vbi proceditur ex præſumptionibus, num. 4.

Fiſcus non ſoluit nec repetit expenſas, num. 5.

Sententia vbi reformatur expenſa compenſantur, num. 6.

DECISIO XIV.

Dominus illuminatio mea.

EXISTIMAVIMVS Auguſtinum eſſe in caſu abſolutionis, prout illum abſoluimus, quia in proceſſu non conſtabat, quod ipſe commiſiſſet aliquod delictum, & vbi non eſt deli-
1 ctum, ibi non debet eſſe pœna, *l. ſancimus, ff. de pœnis, & l. grauis, C. de adulterijs.*

Quod verò ſpectabat ad Dominicum arbitrati fuimus ſatis eſſe ſi per dies quindecim permaneret in carceribus Saxi, attento quod ex proceſſu apparet fuiſſe per nonnullos dies in carceribus hac eadem de cauſa, & maximè attenta pace ſibi facta à Domina Catherina,
2 & eius viro, quæ ex diſpoſitione ſtatutorum multum confert ad diminuendas pœnas, & præſertim, quia de aſſertis oſculis magis conſtat per præſumptiones, quam per probationes, cum de illis non appareat niſi per depoſitionem dicti Auguſtini, qui tamquam vni-
3 cus in criminalibus facit tantum indicium *ſecundum Baldum conſil.* 364. *num.* 6. *lib.* 3. vbi dicit mitigandam ſententiam, vbi Iudex procedit ex præſumptionibus.

Abſoluimus autem ambas partes ab expen-
5 ſis, tum quia fiſcus non ſoluit, nec repetit expenſas per ea, quæ tradit *Boer. deciſ.* 324. *cum alijs per eum adductis.* Tum quia ſententia
6 fuit reformata, quo caſu expenſæ compenſantur, vt poſt alios tradit *Gail. pract. obſeruat. obſeruat.* 110. *num.* 6. *ver. in Camera.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA DELEGATA D. Iſabellæ Fredianæ cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Mulieres qua pœna puniantur in maleficijs ab eis commiſſis, vbi agitur de pœna pecuniaria vigore ſtatutorum Lucenſium?

SVMMARIVM.

Qualitas adiecta in conſtitutione pœnali debet à fiſco iuſtificari ad hoc, vt quis poſſit condemnari in pœnam in dicta conſtitutione pœnali contentam, num. 1.

Præſumptio præſumptiua qualitatis in conſtitutione pœnali contentæ non ſufficit ad hoc, vt quis valeat condemnari, num. 2.

Qualitas ciuilitatis perſonæ offenſæ debet iuſtificari à fiſco, vt quis poſſit ex dicta qualitate in conſtitutione pœnali adiecta condemnari, num. 3.

Percutiens forenſes abſque ſanguine punitur in libras ſexdecim cum dimidio, numero 4.

Percutiens aliquem eodem impetu pluribus percuſſionibus debet pro ſecunda percuſſione puniri in medietate pœnæ primæ percuſſionis, num. 5.

Mulieres pro maleficijs ab eis commiſſis puniuntur ſolum in quarta parte pœnæ impoſita maſculis pro eodem maleficio, numero 6.

Fiſcus non ſoluit, nec repetit expenſas, numero 7.

DE-

DECISIO XV.

Dominus illuminatio mea.

ROTA cenſuit ſententiam D. Prætoris, qua mediante condemnauit D. Iſabellam Fredianam in pœnam exilij per quinquennium more diſculorum. Iuxta tenorem decreti editi ab Excellentiſſimo Senatu de anno 1600. contra Ciues baculo offendentes alios ciues, ex quo d. D. Iſabella baculo percuſſit D. Stephanum Orſettum, eſſe reformandam, & dictam D. Iſabellam condemnandam eſſe ſolum in pœnam librarum ſeptem, & ſolidorum 15. Iuxta formam ſtatuti 151. lib. 4. iuncto ſtatuto 58. eiuſdem libri de materia loquentium. Quia in proceſſu non fuit probatū, vt alias diximus, in hac eadem cauſa *ſupra in deciſ.* 11. quod dictus Stephanus eſſet Ciuis, prout loquitur dictum decretum, & tamen ad effectum, vt poſſit eſſe locus pœnæ conten-
1 tæ in conſtitutione pœnali debet qualitas adiecta in conſtitutione pœnali, & in inquiſitione inſerta probari, & iuſtificari à fiſco *l. 2. §. docere, de vi bonorum raptorum. Vulpellus conſ. 32. num. 5. Farinacius conſilio* 155. *nu. 6. lib. 2.*
2 *Barzius deciſ.* 156. *num.* 3. vbi ſubdit præſumptionem præſumptiuam ad effectum, de quo agitur non releuare, & in ſpecie de quali-
3 tate Ciuilitatis perſonæ offenſæ, quod debeat probari, & iuſtificari à fiſco, ad hoc vt quis poſſit ex dicta qualitate in conſtitutione pœnali adiecta condemnari, *tradit Natta conſilio* 254. *num. 2. relatus à Merlino deciſ.* 31. *in vltimis verbis, & plene Cornazzan. deciſ. 92. num. 2. cum pluribus ſequentibus*. Proinde cum non eſſet probatum, vt diximus, dictum Stephanum eſſe Ciuem Lucenſem meritò non debebat dicta Domina Iſabella in pœnam dicti decreti condemnari, ſed veniebat ſolum punienda pęna allegati ſtatuti 151. *lib. 4.*

Nec obſtat quod pęna impoſita à dicto ſtatuto 151. l. 4. percutientibus forenſes, &
4 foretaneos abſque ſanguine ſit librarum ſexdecim cum dimidio, & cum dicta Domina Iſabella ſit conuicta percuſſiſſe dictum Stepha-
5 num per duas vices eodem impetu, debet etiam pro ſecunda percuſſione condemnari, etiam in medietate pœnæ primæ percuſſionis iuxta formam ſtatuti 163. eiuſdem lib. 4. & ſic in libras 24. & ſolidos 15. & computato quatto pluri eius pęna aſcenderet ad libras 31. bonæ monetæ quia reſpondetur, quod attento, quod ſumus in muliere, dicta pœna debet reduci ad quartam partem *iuxta for-*
6 *mam ſtatuti 58. eiuſdem lib. 4.* loquentis de maleficijs commiſſis per Mulieres, & ſic pęna Dominæ Iſabellæ remanet ſolum librarum ſeptem, & ſolidorum quindecim bonæ monetæ in totum.

Alia etiam multa potuiſſent adduci pro iuſtificatione huius noſtræ ſententiæ, Verum quia de illis ſatis fuit dictum in hac eadem cauſa ſub die 15. Ianuarij præſentis anni 1618. *vt in deciſ.* 11. hic, & iſtud ſolum motiuum ſatis ſuperque ſufficiat pro iuſtificatione noſtræ pronunciæ, meritò ſuper alijs pro nunc non inſiſtere placuit.

7 Ambas verò partes ab expenſis abſoluimus, quia fiſcus non ſoluit, nec repetit expenſas, *vt tradit Boer. deciſ.* 324.

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA PHILIPPI
Biancalana cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Confeſſio qualificata in criminalibus, an diuidatur quando Teſtes fiſci nihil dicunt de aſſerta qualificatione?

SVMMARIVM.

Ordo ſcripturæ eſt multum potens ad inducendum prioritatem, ſeu poſterioritatem actus num. 1.

Ex facie inquiſitionis quando aliquid apparet, quod tendat ad fauorem, ſeu excuſationem inquiſiti illud eſt ſemper attendendum etiam in caſu, quo idem inquiſitus contumax ſit, num 2.

Prouocatus non poteſt condemnari in pœnam ordinariam, ſed debet condemnari in pœnam extraordinariam Iudicis arbitrio, & ſatis leuem, num. 3.

Confeſſio qualificata in criminalibus diuiditur, quando Teſtes fiſci nihil dicunt de aſſerta qualificatione, num.4.

Teſtes ſi non ſint repetiti, etiam ad fauorem fiſci non probant, num.5.

Qualitas defenſionis confeſſioni adiecta non poteſt per fiſcum ſeparari à confeſſione, pro imponenda pœna ordinaria, ſi de delicto aliundè non conſtet, num.6.

Confeſſio qualificata non poteſt diuidi, quando habet annexam clauſulam, & non aliter nec alio modo, & aliter, ac alio modo negauit, num.7. & 8.

Confeſſio qualificata non poteſt diuidi, quando de qualificatione confeſſionis apparet etiam per aliquos teſtes, num.9.

Fiſcus non ſoluit nec repetit expenſas, num.10.

Expenſa compenſantur quando ſententia reformatur, num.11.

DECISIO XVI.

Dominus illuminatio mea.

CONDEMNAVIMVS Philippum Biancalanam in pœnam librarum 50. bonæ monetæ, & non in pœnam ordinariam, quia cum nõ conſtet de delicto ab eo commiſſo, niſi ex eius confeſſione, quæ cum non ſit ſimplex, ſed cum qualitate exgrauãte delictum, cum confeſſus fuerit vulneraſſe Siluestrum, de quo in proceſſu, ex quo
prius eodem tamen inſtanti fuerat ab eo furca
lignea percuſſus pluribus vicibus, & ita etiam
1 colligitur ex ordine ſcripturæ inquiſitionis, ex
quo prioritas inducitur *l. ſi quis ex argentarijs, §. ſi initium, ff. de edendo. Bart. in l.2. §. prius in fine, ff. de vulg. & pupill. & Bald. in l. de rebus, num.4. C. de donat. ante nuptias.* Quod
ſolum pro iuſtificatione aſſertæ prouocationis
abſque alia extrinſeca probatione ſufficit, nam
quando ex facie inquiſitionis aliquid appa-
2 ret, quod tendit ad fauorem, ſeu excuſationem inquiſiti, id proculdubio iudex in eius ſententia debet attendere, etiam in caſu quo idem inquiſitus contumax eſſet, vt benè probat *Aſinius inter conſil. criminalia diuerſ. conſ. 108. num.18. & ſeq. l.2. quem refert & ſequitur Farinac. de inquiſitione quæſt.11. ſub num. 62. verſic. amplia ſecundo. Caballus in ſuis reſolut. crimin. caſu 256. num.5. & ſupponit Decius conſil.459. in principio,* & tradit expreſsè in terminis his noſtris ſimilibus. *Barzius deciſ.141. num.7.* Certè ſumus in claris,
quod non poterat dictus Philippus vti prouo-
3 catus condemnari in pœnam ordinariam, ſed
benè debebat condemnari in pœnam extraordinariam iudicis arbitrio, & ſatis leuem iuxta notata *per Scribentes in l. vt vim, ff. de iuſtitia & iure. Clarus in §. homicidium, num.19. & ſequenti. Vulpellus conſil.78. num.1. Hondedeus conſil.99. num.9. & ſeq. lib.1. plenè Farinac. de homicidio quæſt.125. num.3. & ſeq. & benè ad propoſitum facit Barzius dicta deciſione 141. num.7. & ſequenti, & num.20. & ſequenti.*

Nec obſtare putauimus, quod dicebatur
Confeſſionem eſſe diuidendam, ſtante quod
4 teſtes fiſci qui deponunt de delicto Philippi
nil dicant de prouocatione Syluestri *ad tradita per Clarum in §. fin. quæſt.55. ver. fortè poſſet,* quia reſpondetur, quod cum in teſtibus fiſci nullum poſſit fieri fundamentum ex quo
5 non fuerunt repetiti, *Vulpellus conſil.32. nu.1. Cornazzanus deciſ.124. in fine. Barzius dicta deciſ.141. num.22. & deciſ.144. num.9.* adhuc de dicto delicto non conſtat niſi per con-
feſſionem dicti Philippi, & conſequenter dicta
6 confeſſio non poteſt diuidi, nam qualitas defenſionis confeſſioni adiecta non poteſt per fiſcum ſeparari à confeſſione pro imponenda pœna ordinaria, ſi de delicto aliundè non conſtet, vt declarant Doctores, & præcipuè *Grammaticus deciſ.5. num.13. quem refert, & ſequitur Tobias Nonius conſ.109. num.3. cum alijs per Gabrielem in ſuis concluſionibus criminalibus lib.7. concluſ.19. num.7.* Maximè ſtante,
7 quod dicta confeſſio haberet annexam clauſulam, & non aliter, nec alio modo, & aliter ac alio modo negauit, quia tunc certum eſt, quod Confeſſio non poteſt diuidi, ſed debet in totum, & cum ſua qualitate acceptari ſecundum communem ſententiam, de qua teſtatur *Vulpellus conſil.45. num.1.* quem cum alijs refert, & ſequitur *Farinacius de reo confeſſo quæſt. 81. num.448.* vbi etiam de magis communi teſtatur, recedendo ab opinione Paciani ab eo relati quam ipſemet Pacianus non negauit eſſe communi contrariam.

Et tantò minus ſcindi poterat in caſu præſenti Confeſſio prædicta, quia ipſimet teſtes pro fiſco examinati *in baſtardello* nonnulla dicunt contra dictum Siluestrum circa conatum ab eo factum cum dicta furca lignea aduerſus

præ-

Digitized by Google

prædictum Philippum, & ſic cum ex eorum dictis non modice fulciatur qualitas adiecta confeſſioni prædictæ, difficilius dicta qualitas ab ipſa confeſſione poterat ſei ungi *ad tradita per Farinacium de reo confeſſo dicta quaſt. 81. num. 153. Surdus conſil. 173. num. 67. & ſeq. Felic. alleg. 58. num. 6. par. 1. & alleg. 110. nu. 2. par. 2. Barzius dicta deciſ. 141. num. 19. qui etiam ſub num. 17.* loquens de caſu huic noſtro ſimili indiſtinctè tenet confeſſionem qualificatam ſcindi non poſſe, & inter alios allegat *Marſilium conſ. 136. num. 31.* atteſtantur hanc opinionem æquiorem, & magis communem.

Ambus verò partes ab expenſis abſoluimus tum quia fiſcus non ſoluit, nec repetit expenſas, *Baer. deciſ. 324.* tum quia ſententia D. Prætoris fuit reformata, quo caſu expenſæ compenſantur, cum vterque victor, & victus ſit *ad tradita per Gail. pract. obſeruat. obſeruat. 110. num. 6. ver. in Camera.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA AVGVSTINI Adami Macellarij cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Prohibito Macellarijs dare, vt vulgo dicitur *per gionta teſte, e piedi d'animali*, an intelligatur prohibitum *dar per gionta vn pezzo di gambone ſpolpato, e ſenza carne?*

SVMMARIVM.

Pœna non incurritur niſi in caſu expreſſo, nu. 1.

Non omne illicitum punitur, ſed ſolum illud quod lex ſtatuit eſſe delictum, num. 2.

Pœna à ſtatuto ſiue à iure expreſſa vbi non cadit, delictum ibi non dicitur, etiam quod illicitum ſit, num. 3.

Pœnæ ſunt odioſæ, ideo reſtringendæ, num. 4.

Interpretatio ſemper illa fieri debet, vt pœna excludatur quantum fieri poteſt, num. 5.

Extenſio fit ex identitate rationis, num. 6.

Extenſio non fit ex identitate rationis in pœnalibus, num. 7.

Extenſio fit ex maioritate rationis in pœnalibus, num. 8.

Statutum licèt pœnale debet tamen exiſtimari fauorabile, & non odioſum ſi reſpiciat publicam vtilitatem, & ideo debet extendi & ampliari, num. 9.

Statutum reſpiciens publicam vtilitatem, licèt ſit fauorabile, tamen in quantum continet pœnam eſt continendum in finibus ſuis, adeo vt habeat locum ſolum in caſu expreſſo, numero 10.

Carceris pœna eſt maior quam laborare in agro, ſeu in quolibet opere publico, num. 11.

Carcer eſt ſpecies torturæ, num. 12.

Statuentes ſi voluiſſent in ſtatuto comprehendere aliquem caſum illum expreſſiſſent, cum facilè eſſet illis hoc facere, num. 13.

Odium, & fauor vbi concurrunt ſi odium ſit graue, tunc etiam quod concurrat fauor propter principalem intentionem diſponentis, adhuc ſit stricta interpretatio, vt in alijs terminis ſimpliciter odioſis, num. 14.

Vna pars ſtatuti per aliam declaratur, nu. 15.

Statuti verba præcedentia recipiunt interpretationem à verbis ſubſequentibus eiuſdem ſtatuti, num. 16.

Sequentia declarantur per præcedentia, numero 17.

Aequiuoca verba poſita in vna parte ſtatuti declarantur ex his, quæ in alia parte ſtatuti continentur, ſi appareat quod in alia parte ſtatuti verbum illud fuerit clarè expreſſum, & prolatum, num. 18.

DECISIO XVII.

Dominus illuminatio mea.

EXISTIMAVIMVS reſpondendum pro Auguſtino Adamo Macellario, quod fuerit benè per ipſum appellatum, & malè iudicatum per DD. Officiales ſuper Graſcia, quia licèt in denuncia appareat dictum Auguſtinum dediſſe, vt vulgo dicitur, *per gionta vn pezzo di gambone ſpolpato, ſenza carne, e tutt'oſſo*, tamen non apparet, quod hoc ſit de genere prohibitorum, cum ſolum prohibitum ſit Macellarijs *dare per gionta teſte, e piedi*, vt clarè legitur in proclamate, & conſequenter non poterat condemnari, prout factum fuit, cum cla-

rum

rum ſit, quod vbi agitur de pœna illa non in-
curritur niſi in caſu expreſſo, *l. at ſi quis, §.*
Diuus, ff. de religioſis & ſumpſibus funer. §. cũ
igitur in auth. de non eligend. ſecundo nuben-
tes. Bald. in l. 3. in principio, C. de ſacroſ.
Eccleſijs, Dec. in l. factum, § in pœnalibus,
num. 11. ff. de regul. iuris, idem Bald. in auth.
ex teſtamento colum. 2. C. de ſecundis nuptijs.
Felinus in cap. 2. extra de reſcriptis. Rolandus
conſ. 27. num. 14. lib. 1. Hippolitus Riminald.
conſ. 327. num. 28. Herculanus in tract. de ne-
gatina, num. 9. & num. 130. in fine. Surdus
deciſione 188. num. 7. & 8. & deciſ. 300. num.
17. cum alijs per Menochium de arbitr. iudicum
lib. 2. caſu 27. per totum.

2 Et ratio eſt, quia non omne illicitum puni-
tur, ſed ſolum illud, quod lex ſtatuit eſſe deli-
ctum, *Bald. conſil. 74. incipit filiusfamilias,*
lib. 1. Alex. conſ. 104. lib. 1. & conſ. 92. nu. 17.
& conſ. 212. nu. 5. lib. 6. Dec. conſ. 90. & conſ.
581. Abb. poſt Gloſ. in cap. fin. de iure patrona-
tus. Rolandus à Valle conſil. 85. num. 22. lib. 2.
Natta conſ. 95. num. 10. & conſ. 597. num. 9.
cum alijs per Hippolitum Riminaldum conſilio
327. num. 29. l. 3.

Et quòd propterea vbi pęna à iure ſiue ſta-
3 tuto expreſſa non cadit, delictum non dicatur,
etiam quod illicitum ſit, *eſt tex. in l. 1. §. 1. ff.*
vt quis cum qui, vbi Alex. & alij.

4 Pœnæ enim ſunt odioſæ, & ideo reſtringen-
dæ *cap. ſtatutum in principio de elect. in 6. cap.*
in pœnis de regul. iuris in 6.

5 Facienda eſt enim ſemper interpretatio, vt
pœna excludatur, quantum fieri poſſit, *l. in pœ-*
nalibus, vbi Dec. ff. de regul. iuris. idem Decius
in l. ſemper in obſcuris, num. 9. ff. eodem tit. &
ſequitur idem Decius in conſil. 273. & conſilio
650. Gabriel. conſil. 75. num. 16. l. 2. vbi aper-
tè dicunt, quod vbi agitur de pœna ſemper in
dubio eſt pronunciandum non eſſe incurſam.

6 Nec obſtat, quod ex identitate rationis
poſſit fieri extenſio, quia vltra quod hic non
poteſt conſiderari identitas rationis, cum ideò
fuerit prohibitum dari *per gionte teſte, e piedi,*
quia de illis non ſoluitur macellum, prout fit
de reliquis partibus animalis, & ſic *del gam-*
bone, adhuc dicimus, quod immò ex identitate
7 rationis in pœnalibus non fit extenſio, prout
ſunt textus expreſſi *in l. ſi verò, §. de viro, vbi*
Doctores, ff. ſoluto matrimonio. l. interpretatio-
ne. ff. de pœnis. Alexand. conſ. 113. num. 9. l. 2.
Geminianus in cap. diſpendia, num. 10. ver. in-
cidenter, de reſcriptis in 6. Abbas in cap. 1. num.
14. verſic. ſed crederem de locato.

Prout etiam non obſtat *Surdus in ſua de-*
8 *ciſ. 254.* quia loquitur vbi militaret maior ra-
tio, Sed cum in caſu noſtro vt dixi non ſolum
non militet maior ratio, ſed nec identitas ra-
tionis, & nullibi reperiatur prohibitum dari
per gionta il gambone, debet pariter ceſſare
pœna, in quam fuit condemnatus.

Nec aliquid facit, quod dicebatur, dictum
9 ſtatutum, licèt pœnale, exiſtimandum eſſe fa-
uorabile, & non odioſum, cum reſpiciat publi-
cam vtilitatem, & ideo eſſe extendendum &
ampliandum, quia reſpondetur, quod licèt re-
10 ſpiciat publicam vtilitatem, nihilominus in
quantum reſpicit pœnam, & illa ſit grauis,
cum non ſolum fuerit condemnatus in pęnam
pecuniariam, ſed etiam in pœnam carceris 20.
dierum, quæ eſt grauiſſima, cum maior ſit pœ-
11 na carceris, quam laborare in agro, ſeu in
quolibet opere publico. *Gloſ. in l. ſeruorum in*
ver. in flagellis, ff. de pœnis. Franc. in cap.
quamuis, num. 3. ibi dixit, quod maior pœna de
pœnis in 6. Imò vt dixit *Baldus in l. 2. num. 6.*
ver. facit ad hoc exemplum, C. de Epiſcopali au-
12 *dientia.* Carcer ſit ſpecies torturæ. Certè
non poteſt dici quin dictum ſtatutum, ſeu edi-
ctum ſit continendum in finibus ſuis, & ſic ſo-
lum ſit iudicandum habere locum in caſu ex-
preſſo, & ſpecificato. *Decius conſilio 553.*
num. 4.

13 Maximè cum conditores dicti edicti ſi vo-
luiſſent etiam intelligere, quod non potuiſſet
dari *per gionta il gambone,* & alia genera
oſſium animalis *oltre li piedi, e teſte,* hoc ex-
preſiſſent, cum facilè illis fuiſſet *argumento l. 1.*
§ ſin autem ad deficientis, C. de caducis tollen.

Accedat, quod vbi concurrit odium, & fa-
14 uor, ſi odium ſit graue, tunc etiam quod con-
currat fauor propter principalem intentio-
nem diſponentis, adhuc ſit ſtricta interpreta-
tio, vt in alijs terminis ſimpliciter odioſis. *Ser-*
ſellus in l. vnica, num. 16. & 17. C. de in ius vo-
cando. Rota deciſ. 454. num. 10. par. 1. diuer-
ſorum.

Nec obſtare viſum fuit, quod in principio
edicti reperiatur diſpoſitum, *che il Caſtrato, la*
Vitella di latte, & il Cordeſco ſi debbano vende-
re ſenza gionta, quia cum poſtea in fine illius
fuerit dictum, *e s'intenda prohibito darſi per*
gionta teſte, e piedi, illa prima verba *ſi debba-*
no vendere ſenza gionta, debent intelligi *ſen-*
15 *za gionta di teſte, e piedi,* prout fuit declara-
tum in fine dicti edicti, cum non ſit nouum

vnam

Digitized by Google

vnam partem ſtatuti per aliam declarari. *Alexand.conſ.32.num,3. lib.7. Socin.conſil.242. num.9. lib.2. Dec. conſ.553. num.8. Gabriel conſil.5. lib.2.*

Et quod verba ſtatuti præcedẽtia recipiant
16 interpretationem à verbis ſubſequẽtibus eiuſdem ſtatuti, ſicut ſequentia declarantur per præcedentia, notatur *in l.ſi ſeruus plurium, §. fin. ff.de legat.1. & voluit Alex. in conſ.29. num.9. lib.4. & conſ.192. num.11. lib.6.* vbi
17 dixit quod ſi verbum vnum æquiuocum ſit poſitum in vna parte ſtatuti declarabitur ex his, quæ in alia parte ſtatuti continentur, ſi appareat quod in alia parte ſtatuti verbum illud fuerit clarius expoſitum, & prolatum *per tex. in l.vtrum, vbi Baldus, ff.de petitione hered. Cephal. conſil.526. num.10. l.4. Decianus reſponſo 6. num.24. lib.1. cum alijs per Gabriel. conſil.11. num.33. lib.1.*

Atque ex his fuit reſolutum ad fauorem dicti Adami.

Laus Deo, atque Deipara Virgini Maria.

XIX

IN CAVSA LAVRENTII Nicolai Mori de Montignoſo cum N. & N. & Fiſco.

ARGVMENTVM.

Stuprum vt dicatur conſtare quot matronæ requirantur?

SVMMARIVM.

Vbi non conſtat de corpore delicti non poteſt quis ſubijci tortura, num.1.

Stupri corpus vt dicatur probatum requiruntur duo matronæ, num.2.

Etiam ſi in loco delicti non adeſſet niſi vna tantum obſtetrix, quia in hac materia debent vocari aliæ quæ ſunt in locis propinquis, numero 3.

Obſtetrices vt probent ſtuprum debent reddere rationem ſui dicti etiam ſi non ſint interrogatæ, num.4.

Obſtetrices quando non conueniunt inter ſe, ſed vna dicit puellam corruptam, & alia aſſerit illam virginem, debet ſtari deponenti pro virginitate, numero 5.

Scandalis obuiare ſpectat ad Iudicis officium, num.6.

DECISIO XVIII.

Dominus illuminatio mea.

DVXIMVS reuocandam eſſe ſententiam latam à D. Prætore, quod Laurentius Nicolai Mori de Montignoſo debeat extraordinarie puniri arbitrio Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Conſilij ob deflorationem cuiuſdam puellæ de dicto Caſtro. Imò exiſtimauimus non poſſe contra eum procedi ad torturam, ſed eſſe in caſu abſolutionis. Quia vidimus non conſtare in proceſſu de corpore deli-
1 cti, videlicet de defloratione dictæ puellæ, Et tamen certum eſt, quod vbi non conſtat de corpore delicti non poteſt procedi nec ad capturam, nec ad inquiſitionem, ne dicam ad condemnationem, & quod quicquid deſuper factum fuit nullum remanet *l.1. §.iterum vbi Bartol. ff.ad Syllanianum. Boſſius in tit. de delictis, num.14.24.26.& 53. cum alijs per Hondedeum in conſ.106. nu.18. & conſ.107. nu.4. cum ſeq. & conſil.108. num.25. lib.1.*

Nec obſtare putauimus, quod Magdalena Matthei Orlandi de Montignoſo Matrona in opere nuptiali experta aſſerat reperijſſe dictam puellam defloratam, quia eius dictum in hac materia nihil facit, cum duarum obſtetri-
2 cum ad minus depoſitionẽs requirantur, vt poſt alios, quos allegat tradit *Pacianus de probat. lib.2. c.2. num.30.& 31.*

Quæ concluſio eſt adeo vera, vt procedat
3 etiam ſi in loco non adeſſet niſi vna tantum Matrona, quia ad hunc effectum debent vocari aliæ, quæ ſunt in locis propinquis. *Gloſ. in cap.ſi fortè 65.diſtinct. Abb. in cap.propoſuiſti, & ibi Felinus num.7. ver. hanc fallentiam de probationibus.*

Et prædicta eo magis procedere in præſenti caſu exiſtimauimus tum quia depoſitio di-
4 ctæ Magdalenæ non eſt fundata, cum non reddat rationem ſui dicti, vt tenebatur facere etiam non interrogata, *Bald. in l.fin. in fine, num.6. C.de iure Dominij impetr.* Tum quia eius dictũ confunditur per depoſitionem Lauræ Franceſchini Matronæ Lucenſis, quæ diligenter inſpecta dicta puella, dicit illam eſſe

virgi-

Digitized by Google

5 Virginem, cui in dubio ſtandum eſt, cum deponat rem veroſimiliorem, & magis naturæ conformem *ad tex. in cap. praterea in fine extra de teſtibus, & l. ob carmen, §. ſi teſtes, ff. de teſtibus cum alijs per Pacianum de probat. lib. 2. cap. 2. num. 12.*

6 Verum quia ſcandalis obuiare ad Iudicis ſpectat officium, *ad tradita per Doctores, & præcipuè Bart. Bald. & Alexandrum in l. æquiſſimum, ff. de vſufructu,* & hic agitur inter perſonas alicuius conditionis, ideo dictas partes ad præſtandum fideiuſſionem de ſe non offendendo hinc inde adſtringere placuit. Et ita deciſum.

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA SPECTABILIS Vincentij Diuerſi cum Ser Pompeo Morganti, Lelio Bottaio, & Fiſco.

ARGVMENTVM.

Torturam ſuſtinens, an & quando poſſit condemnari in pœnam extraordinariam?

SVMMARIVM.

Authorem præſtans alicuius calumnia abſoluitur, num. 1.

Mandatarij aſſertio abſque adminiculis non facit inditium contra aſſertum mandantem, etiam quod Mandatarius dicat non recepiſſe mandatum, num. 2.

Commiſſio occidendi non ſolet dari niſi ex grauiſſimis cauſis, num. 3.

Commiſſio offendendi & occidendi non datur perſonis incognitis, num. 4. nec inimicis, num. 5.

Detegere velle proprios defectus nemo præſumitur, num. 6.

Varietas arguit falſitatem teſtis, num. 7.

Falſitas arguitur quando quis dicit talem fuiſſe præſentem, & vidiſſe, & ille poſtea negat fuiſſe præſentem, & vidiſſe, num. 8.

Negatiua quod quis non fuerit in aliquo loco de certo tempore probatur per teſtes, qui dicunt de illo tempore illum talem fuiſſe alibi, & quod illum ibi ſemper viderint, num. 9.

Falſitas arguitur ex mendacijs, & contradictionibus, num. 10.

Teſtes poſſunt hortari ad dicendam veritatem etiam muneribus, & donis, num. 11.

Tortura purgat indicia, & præſumptiones delicti, num. 12.

Tortura non purgat indicia & præſumptiones delicti, quando infligitur perſonæ, quæ patitur plures exceptiones, & non eſt bonæ qualitatis, imò eſt varius, parum ſibi conſtans, mendax, & periurus, num. 13.

Mandatarius non facit indicium contra aſſertum mandantem, etiam quod dicat non recepiſſe mandatum, & hoc in tortura ſuſtineat, num. 14.

Tortura licèt purget indicia, nihilominus, quando contra torturatum adſunt indicia indubitata, adhuc non debet ille qui ſuſtinuit torturam abſolui, ſed debet condemnari in pœnam extraordinariam, num. 15.

DECISIO XIX.

Dominus illuminatio mea.

REQVISITI ab Excellentiſſimo Conſilio de noſtro voto, circa querelam porrectam à Spect. Vincentio Diuerſi contra Ser Pompeum Morgantem, Ioannem Baptiſtam Bambacarum, & Fredianum Puccinum in eo, & ſuper eo, quod dicti Morgantes, Bambacarus, & Puccinus calumniauerint dictum Spect. Vincentium affirmando, quod illum vulnerauerint, ea de cauſa, quia dictus Spect. Vincentius requiſiuit quemdam Lelium Bottaium, vt vellet vulnerare, & occidere dictos Ser Pompeum Morgantem, & Ioannem Baptiſtam Bambacarum, in hanc tandem venimus ſententiam. Quod dictus Ser Pompeus debeat abſolui vnà cum eius ſocijs à prætenſa calum-
1 nia, cum præſtiterit Lælium dictæ vocis authorem, qui pluries tam in ſcriptis, quam in voce, ac in tortura reiterata ratificatus fuit rem ita ſe habere, prout expoſita fuit à dicto Morgante.

Verum quia dictus Lælius depoſuit de hoc fuiſſe requiſitum à Capitaneo Ioanne Baptiſta

ſta Angelello, nec non à dicto Spectabili Vincentio Diuerſi, cum oblatione pecuniæ ſi vellet acceptare huiuſmodi mandatum,quod tamen noluiſſe acceptare dixit. Ideo tota difficultas reſtringebatur ad videndum an ex depoſitione dicti Lelij orirentur aliqua inditia contra prædictos Capitaneum Angelellum, & Spectabilem Vincentium Diuerſum, & vnanimiter negatiuè reſpondendum eſſe exiſtimauimus.

Quia verior,& magis communis opinio eſt,
2 quod ſimplex aſſertio Mādatarij alijs indiciis non adminiculata non faciat indicium contra aſſertum mandantem, etiam quod Mandatarius dicat noluiſſe acceptare mandatum, *Clarus in ſua praxi crimin. §.fin. quæſt.21. ver. & ex hac concluſione, & poſt alios Farinacius de indicijs & tortura quæſt.44. num.16.& 17.* vbi dicunt hoc ſumma ratione procedere, ne aliàs eſſet in facultate cuiuſlibet ſceleſti ſic dicendo ex odio occulto, quod forſan eum aliquo haberet homines vexare, & damnificare.

Et prædicta eo magis habere locum in præſenti caſu exiſtimauimus cum non appareat dictum Spectabilem Vincentium non habuiſſe aliquam cauſam offendendi,& interficiendi dd. Morgantem,& Bambacarum,qua ceſſante remanet magna ſuſpicio contra dictum Le-
3 lium,quod ipſe fuerit inuentor dictæ calumniæ cum commiſſio occidendi non ſoleat dari niſi ex grauiſſimis cauſis.

Nec obſtat quod prædicti Morgantes, & Bambacarus eſſent contrarij cuidam D. Lucretiæ Vailæ in quadam eius lite,quam ex alia parte dictus Spect. Vincentius defendebat, nam non per hoc videtur poſſe dici, quod Spect. Vincentius haberet tale odium contra illos, vt potuerit moueri ad committendum dicto Lelio illorum interfectionem, tantò magis, quia vt deponit idem Lelius in quodam ſuo conſtituto clarè apparet, quod dictus Spect. Vincentius non cognoſcebat dictum Lelium, & conſequenter non eſt veriſimile,
4 quod dictus Spect. Vincentius mandaſſet negotium tam graue perſonæ ſibi incognitæ.

Et multò minus credi poteſt, quod Lelius fuerit de hoc perquiſitus à dicto Domino Capitaneo Ioan. Baptiſta Angelello,ſi quidem in
5 proceſſu conſtat, quod inter dictum Capitaneum,& dictum Lelium aderat aliqua inimicitia.

Tertiò, quod depoſitio dicti Lelij ſit falſa colligitur ex querela porrecta à Spect. Vincentio contra dictum Bambacarum, nec non ex diligentia per eum facta, vt dictus Lelius conſtitueret ſe in carceribus, quia ſi verè ipſe requiſiuiſſet,vel perquirere feciſſet dictum Lelium, vt occideret præfatos Morgantem, & Bambacarum,vel non porrexiſſet querelam de hoc, vel ſi porrexiſſet, non curaſſet,quod dictus Lelius ſe conſtitueret in carceribus cum
6 nemo præſumatur velle detegi proprios errores, & defectus.

7 Quartò dictus Lelius redditur eo magis de falſo ſuſpectus,ex quo eſt in ſuis dictis varius, cum modò dicat fuiſſe pluries à Spect. Vincentio de hoc requiſitus,& modò dicat, quod fuit de hoc per vnam vicem tantum rogatus, maximè cum teſtes,quos ipſe adducit vidiſſe eum alloquentem eum Spect. Vincentio, deponant
8 numquam vidiſſe dictum Lelium, & Spect. Vincentium ad inuicem ſimul alloqui.

Quintò falſitas dicti Lelij eo magis detegitur,quia dictus Lelius dicit, quod de hoc fuit requiſitus à Spect. Vincentio de die Lunæ, vel Martis, poſt diem Dominicum Sancti Lazari Lucæ, in loco, *detto le Cantere*. Et tamen in illis diebus dictus Spect. Vincentius non erat Lucæ. Sed habitabat in eius Villa Suami vbi permanſit per multos dies, ante,& poſt, abſque eo quod vnquam redijſſet ad Ciuitatem, vt deponunt plures teſtes,de quibus in proceſſu, qui eum deponant de negatiua coarctata loco,& tempore dicendo, quod ſi de illo tempore acceſſiſſet ad Ciuitatem Lucæ hoc ipſi
9 ſciuiſſent, non poteſt dubitari, quin rectè ſit probatum quod dictus Spect. Vincentius de illo tempore non erat Lucæ,& ſic dictus Lelius remanet in totum,& per totum falſus, *Baldus in l.1.num.7. C.de bonorum poſſeſſ. ſecundum tabulas. Alexand.conſilio 43. num.15. lib.4. Decius conſil.94. num.5. & conſ.173. num.3. ver. & ratio congrua*, & fuit deciſum in vna Conchen. Decimarum de Sarcinaro 19. Iunij 1597. coram Illuſtriſſimo Mantica.

Et prædicta eo magis ſibi locum vendicāt,
10 cum dictus Lelius in ſuis conſtitutis reperiatur conuictus de multis mendaciis, & contradictionibus,quæ licèt non tangant negotium principale, tamen illum ſuper eo etiam valde ſuſpectum reddunt *Gloſ. in cap. cauſamque in ver. tempore, vbi Innoc. Baldus & alij de teſtibus. Milis in tract. de teſtibus in ver. teſtis quando eſt ſuſpectus, & in ver. teſtis ſi in vno dicit falſum. Grammatic. conſil.1. num.8.& 29. & conſil.25. num.28. Natta conſil.315. num.11*

& fuit

& fuit dictum in vna Parmen. ſtatus 4. Iunij 1601. coram Illuſtriſſimo Millino.

Nec obſtat quod Pater dicti Lelij dicat fuiſſe requiſitum à Spect. Lando Diuerſi Fratre d. Spect. Vincentij, quod vellet ſuadere dicto Lelio, vt reuocaret quod dixit de eius fratre promittendo illi opem ferre, quia cum idem pater Lelij deponat quod fuit rogatus dicere eius filio, quod pro veritate reuocaret eius depoſitiones, non vidimus, quod hoc aliquid officere poſſet dicto Spect. Vincentio, cum teſtes
11 poſſint hortari ad dicendam veritatem cum muneribus, & donis. *Baldus in cap. vltimo, num. 11. de appellat. Dec. conſil. 189. num. 14. ver. ſecundo reſponditur, Ripa in l. 1. num. 36. ff. ſi certum petatur,* & fuit dictum in vna Papien. Matrimonij 17. Maij 1596.

Nec ex eo, quod dictus Lelius ſuſtinuerit in tortura eius dicta etiam in facie d. D. Capitanei Angelelli, & prædicti Spectabilis Vincentij, exiſtimauimus fuiſſe purgata indicia con-
12 tra ipſum, quia licet verum ſit quod inditia, & præſumptiones contra aliquem exiſtentes purgantur per torturam. *Albericus in rubrica, num. 9. C. de quaſt. Clarus in ſua praxi, §. fin.*
13 *quaſt. 64. ver. illata reo.* tamen eſt etiam verum, quod quando tortura infertur perſonæ, quæ patitur plures exceptiones, & non eſt bonæ qualitatis. imò eſt varius, parum ſibi conſtans, mendax, & periurus, vt eſt dictus Lelius tortura tali caſu nihil operatur ad effectum, vt illi credi debeat, quia tortura illata reo pro vno effectu non poteſt purgare alios defectus, nam quando plura obſtant non cenſetur ſublatum niſi illud, ſuper quo fuit illata, cum omnis diſpoſitio reſtringatur ad ſuam cauſam, *l. ſi de certis, C. de tranſact. l. cancellauerat, ff. de his, quæ in teſtamento. Boſſius de inquiſitione, num. 51. & 52.*

Imò tantò minus tortura in dicto Lelio ali-
14 quid operari potuit; quia dictus Lelius facit ſe mandatarium, quo caſu licèt non acceptauerit mandatum, nihilominus non probat contra aſſertum mandantem, etiam quod in tortura depoſuerit, vt poſt alios concludit *Farinacius de indicijs, & tortura quaſt. 45. num. 22.*

Atque cum ex his dictus Lelius remaneat author, & Inuentor dictæ calumniæ ſupereſt modo videre, an etiam ipſe ſtante dicta tortura ſit abſoluendus? Et ſtantibus præfatis in-
15 diciis ex quibus habuimus pro indubitato, quod ipſe fuerit author dictæ falſitatis, Vnanimi voto concluſimus dictum Lelium (non obſtante, quod in tortura ſuſtinuerit ei fuiſſe ita dictum à præfato Capitaneo Angelello, & Spect. Vincentio) eſſe plectendum aliqua pœna extraordinaria arbitrio Excellētiſſimi Conſilij, ad latè tradita *per Surdum conſil. 132. à num. 86. vſque ad finem lib. 1. Hondedeum conſil. 106. num. 64. lib. 2. Menochium conſil. 82. num. 243. Aſſiſinum in ſuis comm. concluſ. concluſ. 45. ver. declara, cum alijs per Farinacium de Reo confeſſo, & conuicto quaſt. 86. num. 3. 5. 11. & 33.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA BLASII IVLIANI Paganucci, & Pierini Michelangeli Barſotti de Capannore cum Sancte Olius.

ARGVMENTVM.

Appellatio an ſuſpendat, quando ſtatutum mandat aliquid fieri de facto?

SVMMARIVM.

Appellatio non ſuſpendit quando ſtatutum mandat aliquid fieri cum effectu, & de facto, num. 1.

Interpretatio illa ſemper eſt ſumenda, quæ eſt amica intentionis ſtatuentium, numero 2.

Diſpoſitio qualibet eſt ita ſemper intelligenda, vt abſurditas euitetur, num. 3.

Abſurdum dicitur quod eſt contra intentionem ſtatuentium, num. 4.

Statuti verba debent ſemper interpretari, vt non ſtent ſine effectu, num. 5.

A taxatione expenſarum non datur appellatio, num. 6.

Ab exequutore non datur appellatio, numero 7.

DECISIO XX.

Dominus illuminatio, & ſalus mea.

IN cauſa appellationis interpoſitæ à Blaſio Iuliani Paganucci, & Pierino Michelangeli Barſotti de Capannore à quadam ſententia D.Prætoris,in qua condemnauit dictos Blaſium, & Pierinum ad ſoluendum Sancti Oliui libras centum de bononenis decem pro libra,pro expenſis factis à dicto Sancte occaſione vulnerum ſibi illatorum à dd. Blaſio, & Pierino Exiſtimaui dictæ Appellationi non eſſe deferendum,niſi ad effectum deuolutiuum non autem ſuſpenſiuum,quia cùm ſtatutum 167.*l*.4. ſub rubrica de expenſis factis occaſione vulnerum expreſsè iubeat,quod taxatis expenſis per officialem, habito colloquio opportuno vulne-
1 rans compellatur ad eas ſoluendum cum effectu,& de facto,certè Dominus Prætor nō poſſet cogere cum effectu,& de facto dictos Blaſium,& Pierinum,ſi ab ipſius ſententia admitteretur appellatio ſuſpenſiua; Vnde cum ſem-
2 per ſit ſumenda illa interpretatio, quæ ſit amica intentionis ſtatuentium, & non deſtructiua *Rota deciſ*.125. *num*.9. *par*.1. *diuerſorum*.
3 Et omnis diſpoſitio ſit ita intelligenda, vt abſurditas euitetur, & abſurdum dicatur, quod eſt contra intentionem ſtatuentium,*Rota dicta*
4 *deciſ*.125. *num*.10. Certè ſat mihi viſum fuit ſi tali caſu concederetur appellatio ad effectum deuolutiuum, cum ſic verba illa ſtatuti cum effectu, & de facto non eſſent eluſoria,
5 prout ſemper iſta interpretatio accipi debet,vt verba ſtatuti non ſtent ſine effectu. *Pariſ.conſ*. 49.*num*.54.*lib*.1. Et eſſet etiam ſatis conſultum appellantibus, quatenus prætenderent fuiſſe exceſſum in taxatione, quia ſic poſſent
6 obtinere etiam moderationem dictæ taxationis à qua non appellatur, quia taxatio eſt exequutio, Et ab exequutione non datur appellatio, *Baldus in l. terminato, numero* 12. *C.de fruct.& litium expenſ.*

Laus Deo, atque Deipara Virgini Maria.

IN CAVSA D. FRANCISC Colucci cum Spectabili Nicolao Michali.

ARGVMENTVM.

Quando Iudex declarauit ſe Iudicem competentem à tali pronuncia, an recurratur ex defectu iuriſdictionis,ſeu ex defectu incompetentiæ?

SVMMARIVM.

Quando Iudex declarat ſe Iudicem competentem, recurritur à tali pronuncia ex defectu incompetentia, & non iuriſdictionis, numero 1.

Specialis prouiſio præfertur generali, num.2.

Recurſus ex defectu iuriſdictionis, eſt remedium ſubſidiarium, num.3.

Recurſus ex defectu iuriſdictionis ceſſat, quando datur recurſus incompetentia, num.4.

Recurſus vbi eſt nulliter interpoſitus recurſus in expenſis condemnatur, num.5.

DECISIO XXI.

Dominus illuminatio, & ſalus mea.

ROTA cenſuit Recurſum ex defectu iuriſdictionis *iuxta formam cap. Rota* 29. interpoſitum pro parte D. Franciſci Colucci à pronuncia lata à Domino Pretore ad fauorem Spect. Nicolai Michæli circa reſtitutionem cuiuſdam ſuæ equæ fuiſſe, & eſſe nullum, quia
1 fuit interpoſitus à pronuncia, per quam tacitè D. Prætor declarauit ſe Iudicem competentem, quo caſu non debebat interponi Recurſus ex defectu iuriſdictionis *iux. d.c.*29. Sed debebat recurri ex defectu incompetentiæ *iux. cap*.30. quo loci in ſpecie agitur de recurſu à pronuncia tacitè prolata, per proceſſum ad vlteriora ſuper oppoſita exceptione incompetentiæ, prout fuit factum in caſu noſtro, quia cum capitula Rotæ in ſpecie prouiderint quo-
2 modo debeat recurri à pronuncia lata ſuper competentia, talis ſpecialis prouiſio debebat attendi, & non illa ex defectu iuriſdictionis ad tradita *per Bald.conſ*.201.*nu*.2.*ver.*

D in

in contrarium, lib.1. Rota Romana deciſ.384. num.2.par.1.diuerſorum.Maſcardus.de generali ſtatutorum interpretatione, q.8. nu.19. & 20.cum alijs per Gratianum in ſuis diſceptat. forenſ.c.9.num.2.

Et prædicta tantò magis procedere in caſu noſtro exiſtimauimus cum Recurſus ex defectu iuriſdictionis ſit remedium ſubſidiarium
3 vt legitur *in d.c.29.* Vnde cum in caſu noſtro, daretur recurſus ex defectu incompetentiæ vigore *cap.30.*
4 Adhuc vidimus ceſſare Recurſum ex defectu iuriſdictionis, de quo *in c.29.* quod eſt ſubſidiarium, vt diximus.

Atque cum ex his clarè appareat recurſum ex defectu iuriſdictionis fuiſſe nulliter interpoſitum pro parte d. D. Franciſci meritò
5 ipſum etiam in expenſis condemnauimus, *iuxt. notata per Doctores in l.eum quem temere.ff.de iudicijs.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA DOMINICI MONdini de Vurno cum Antonio Gouerni.

ARGVMENTVM.

Iuriſdictio an expiret per lapſum inſtantię quando inſtantia non partibus ſeu cauſæ, ſed iudici eſt præfixa?

SVMMARIVM.

Ab exequutione ſententia lata ſuper condemnatione damnorum expenſarum, & intereſſe paſſis & factis occaſione iudicij criminalis non datur appellatio, num.1.

Appellationi non eſt deferendum, quando appellatio non deuoluit, num.2.

Statuti diſpoſitione quis iuuari non poteſt, vbi non fuit ſeruata illius forma, num.3.

Iuriſdictio per lapſum inſtantia non expirat, quando inſtantia non partibus, ſeu cauſa, ſed iudici eſt præfixa, num.4.

Inſtantia dicitur præfixa Iudici, quando verba ſunt directa in Iudicem, num.5.

Ab expenſis quis abſoluitur iuſtis de cauſis, numero 6.

DECISIO XXII.

Dominus illuminatio, & ſalus mea.

DIXIMVS Appellationi interpoſitæ pro parte Dominici Mõdini non eſſe deferendum, quia agebatur de appellatione interpoſita ab exequutione ſententiæ latæ à D. Prætore in qua vltra pœnam corporalem condemnauit ad ſoluendum dicto Antonio libras 300. bonæ monetæ pro damnis, expenſis, & intereſſe paſſis, & factis per d. Antonium occaſione iudicij criminalis de quo in proceſſu, quo caſu, cum ex for-
1 ma *c. Rota 55.* in fine non detur appellatio, ſed recurſus, certum erat quod appellatio non de-
2 uoluebat, & conſequenter appellationi non erat deferendum.

Nec obſtat quod cum dicta ſententia fuerit lata extra menſem *à d.c. præfixum*, non poterat dictus Antonius iuuari, *d.c.55.l.iſta ſtipulatio,*
3 *§.1.ff.de verbor.obligat.cum ſimilibus*, quia vltra quod non potuit cognoſci, an dicta exequutio fuerit conceſſa infra, vel extra dictum tempus, cum appellatio non deuoluat, vt diximus, adhuc dicta ſententia fuit valida, licet la-
4 ta fuiſſet extra dictum tempus, cum inſtantia non partibus ſeu cauſæ, ſed Iudici fuerit præfixa, quia hoc caſu iuriſdictio per lapſum inſtantiæ non expirat, *l.1.in fine, C.vt omnes Iudices, vbi Bart. & Iaſ. & notãt cõiter Scribentes in l.properandum, C.de iudicijs, vbi Bart.nu. 6.Iaſ.num.26, Salic.nu.3. Bald.num.6. Alex. num.19.& Ang.num.2.Felin.in c.venerabilis, num.15. de iudicijs, Dec.conſ.550.nu.5. Rom. conſ.415.in fine, Corn.conſ.49.nu.16.l.2.Alexan.conſ.183.nu.10.lib.6.Aymo conſ.140.n.7.*

Quod autem inſtantia fuerit præfixa Iudi-
5 ci patet, quia verba dicti c.55. ſunt directa in Iudicem, cum dicant & Magnificus D. Iudex teneatur, & debeat ſententiare, quo caſu non eſt dubium, quin inſtantia dicatur præfixa Iudici, *vt poſt Baldum, Salicet. Fulgoſ. & alios in l.properandum, nu.20. C.de iudicijs tradit Corneus conſ.49.num.16.& 17.l.2.*
6 Abſoluimus autem d. Dominicum ab expenſis Iuſtis de cauſis animum noſtrum mouentibus, *ad tradita per Doctores in l.properandum, §.ſin autem alterutra, C.de iudicijs.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN

In cauſa Thomei Oſsis de Plebe Sancti Pauli, cum Spectabili Balthaxare Bocella.

ARGVMENTVM.

Tempus ad appellandum in criminalibus, an currat à die latæ ſententiæ, vel die ſcientiæ latæ ſententiæ?

SVMMARIVM.

Tempus ad appellandum in cauſis criminalibus eſt decem dierum à die latæ ſententiæ ex diſpoſitione ſtatuti Lucen. num. 1.

Tempus ad appellandum de iure communi currit à die ſcientiæ latæ ſententiæ, num. 2.

Statuta recipiunt interpretationem paſſiuam à iure communi, num. 3.

Tempus ad appellandum à ſententijs criminalibus in Curia Lucenſi de illius inueterata conſuetudine currit à die latæ ſententiæ, num. 4.

Statuta informantur potius à conſuetudine, & obſeruantia ſubſequuta quam à iure communi, num. 5.

DECISIO XXIII.

Dominus illuminatio, & ſalus mea.

PRONVNCIAVIMVS appellationi interpoſitę pro parte Thomei Oſſis à ſententia D. Commiſſarij ſex Milliariorum non eſſe defendum, quia appellatio, de qua agitur, fuit interpoſita à ſententia criminali poſt decem dies continuos
1 à die latæ ſententiæ aſſignatos ad appellandum, & ſic poſtquam ſententia fecerat tranſitum in iudicatum, quo caſu non poteſt amplius appellari ita diſponente ſtatuto *cap. 2. lib. 5.*

Quod autem Appellatio prædicta fuerit interpoſita poſt decem dies continuos datos ad appellandum patet, quia ſententia fuit lata ſub die 23. Nouembris 1617. & appellatio fuit interpoſita ſub die 5. Decembris 1618.

Nec obſtat, quod cum de iure communi tem-
2 pus ad appellandum currat à die ſcientiæ latæ ſententiæ *cap. concertationi, de appellationibus in 6. cum alijs per Facchineum controuerſiarum iuris. cap. 81. ver. fundamentum lib. 1. & ſtatuta recipiant interpretationem à iure communi lib. 2. C. de noxalibus, & l. 1. §. lex Falcidia, vbi Bartolus & Alexand. ff. ad leg. Falcidiam, cum alijs per Rotam Romanam deciſione 724. num. 15. & 16. lib. 1.* adhuc dictum ſtatutum debet intelligi à die ſcientiæ latæ ſen-
3 tentiæ, Quia reſpondetur quod cum de inue-
4 terata huius Curiæ cōſuetudine ſormiter alias probata, vt ex varijs deciſionibus huius Rotæ de illa teſtantibus apertè cognouimus, & per nos fuit dictum in cauſa Blaſij Ioannis, & Conſortium de Turre cum Spect. Gaſpare Mazzoni, & fiſco de anno præterito. In criminalibus tempus ad appellandum currat à die latæ ſententiæ, prout ſonant verba dicti ſtatuti, adhuc dictum ſtatutum informatur potius à conſue-
5 tudine, & obſeruantia ſubſequuta, quàm à iure communi *ad tradita per Baldum in l. 1. nu. 7. C. ſi propter publicas penſitationes, & Ioannem de Anania in cap. quam graue, nu. 2. ad finem, de crimine falſi.*

Abſoluimus autem dictum Thomeum ab expenſis, quia ſtante, quod de iure communi tempus ad appellandum currat à die ſcientiæ latæ ſententiæ, habuit aliquam cauſam cre-
6 dendi quod poſſet appellare à die ſcientiæ latæ ſententiæ *ad tradita per Doctores in cap. 1. in fine de elect. in 6. & l. qui ſolidum, §. etiam, ff. de legat. 2.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA MAGNIFICI DO. Ioannis Matraini Ciuis Ianuenſis cum Fiſco Lucenſe.

ARGVMENTVM.

Querela partis an ſufficiat ad formandam Inquiſitionem, vbi agitur de imponenda pœna corporali?

SVMMARIVM.

Querela partis non ſufficit ad formandam inquiſitionem vbi agitur de imponenda pœnæ

corporali principaliter vel in ſubſidium, quod non ſoluatur pœna pecuniaria, nu. 1.

Iudices noſtri temporis nullam aliam habent iuriſdictionem, niſi illam, quæ à ſtatutis ſibi tribuitur, num. 2.

Verbum, poteſt, vbi illi negatiua præponitur inducit neceſſitatem præciſam, num. 3. Reddit actum nullum ipſo iure, num. 4. Et importat formam, num. 5.

Inquiſitio vbi eſt nulla, eſt etiam nulla ſententia ſuper ea lata, num. 6.

DECISIO XXIV.

Dominus illuminatio, & ſalus mea.

IN Cauſa Recurſus interpoſiti ex defectu iuriſdictionis à Magnifico Domino Ioanne Matraini Ciue Ianuenſe à quadam ſententia cōdemnatoria contra eum lata in eius contumaciam per Dominum Prætorem. Pronunciauimus defectum iuriſdictionis ſubſtitiſſe, & ſubſiſtere, & ſucceſſiuè malè iudicatum, & benè recurſum, Quia cum D. Prætor nullis præcedentibus informationibus, ſed ad ſimplicem querelam, & condolentiam partis proceſſerit ad tranſmiſſionem citationis libellatæ, cum tenore inquiſitionis delicti, & poſtea ad ſententiam condemnatoriam in eius contumaciam, tam dicta inquiſitio, quam ſententia ſuper ea ſequuta fuit nulla ex defectu iuriſdictionis, Nam cum ſtatutum *lib. 4. cap. 1.* apertè diſponat, quod quilibet
1 Iudex, ſeu Officialis non poſſit inquiſitionem formare in delictis, in quibus pœna corporalis venit imponēda principaliter, vel in defectum, quod non poſſit ſolui pœna pecuniaria, niſi prius examinatis teſtibus in baſtardello pro informatione Curię, qui delictum probent, vel ſaltem de eo indicium faciant, & Iudices noſtri
2 temporis nullam aliam habeāt iuriſdictionem, niſi illam, quæ à ſtatutis ſibi tribuitur, *Baldus in authent. caſſa in prima columna, C. de ſacroſ. Eccleſijs. Purpuratus in l. 1. num. 226. ff. de officio eius, & ibi Cagnol. nu. 12. cum alijs per Decianum in ſuo tract. criminali cap. 47. nu. 2. l. 4.* Certè ſumus in claris, quod cum D. Prætor condemnauerit dictum Magnificum D. Ioannem Baptiſtam nullis præcedentibus informationibus in defectum quod non ſolueret pœnam pecuniariam, in pœnam abſciſſionis linguæ, dicta inquiſitio & condemnatio fuit nulla ex defectu iuriſdictionis attentis dictis verbis ſtatuti, & ponderatis præcipuè illis. Non poſ-
3 ſit inquiſitionem formare, Quia verbum poteſt, vbi illi negatiua præponitur inducit neceſſitatem præciſam, ex quo tollit omnem potentiam *ſecundum Gloſam ordinariam in cap. 1. in ver. non poteſt de regul. iuris. Bart. in l. Gallus. num. 4. vbi Iaſ. nu. 16. ver. prima concluſio. ff. de liberis, & poſthumis. Alex. conſ. 77. nu. 2. lib. 3.*
4 Et reddit ipſo iure actum nullum. *Bartol. & Baldus in d. l. Gallus. Idem Bart. in l. de his, C. de tranſact. Bald. in l. fin. col. fin. C. de fideicomm. & in l. 1. num. 46. ver. & confirmantur prædicta, C. qui admitti, & formam importat. Lanfranc. in cap. quoniam contra, num. 24. de probat. Carpan. ad ſtatutum Mediolanen. cap. 335. nu. 4. Tiraquell. de legibus connub. gloſ. 4. num. 1. cum alijs per Vantium de nullitatibus ex defectu iuriſdictionis ordinaria, num. 121.* Et quod vbi fuit nulla inquiſitio, ſit etiam nulla ſententia ſuper ea emanata tradit *Honded. conſ. 108. num. 25. lib. 1.* Atque ita declarauimus defectum iuriſdictionis ſubſtitiſſe, & ſubſiſtere, & ſucceſſiuè benè recurſum, & malè iudicatum.

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA BARTHOLOMEI Mencari cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Ad effectum condemnandi in pœnam extraordinariam, an ſufficiant indicia, & qualia eſſe debeant?

SVMMARIVM.

Teſtis dicens vidiſſe aliquos ad inuicem contendere, & vnum ex eis admenare arma contra aliquem quem ſtatim vidit vulneratum, non concludit neceſſariò illum fuiſſe ab eo qui dicta arma verſus illum admenauit, vulneratum, num. 1.

Ad effectum condemnandi in pœnam extraordinariam requiruntur indicia indubitata, & vehementia, num. 2.

Mulieres in criminalibus de iure ciuili admittun-

mittuntur ad teſtificandum, num.3.

Mulieres licèt in criminalibus de iure admittantur ad teſtificandum, non tamen ſunt integra fidei, num.4.

Ex indicijs indubitatis, vt poſſit procedi ad condemnationem indicia debent eſſe probata per teſtes omni exceptione maiores, num.5.

DECISIO XXV.

Dominus illuminatio, & ſalus mea.

BARTHOLOMÆVS Mencari fuit à Domino Prætore condemnatus, pœna ſic arbitrata in libris 50. pro duobus vulneribus illatis Andreæ Saluatoris, nec non in libris 150. pro computatione digiti anularis manus dexteræ, & ſtroppiatura digiti Indicis dicti Andreæ pariter pœna ſic arbitrata, & cum à dicta ſententia dictus Andreas appellaſſet ad Rotam. Rota illam reuocauit, & contra dictum Bartholomæum extitiſſe, & extare indicia ad torturam pronunciauit, Et hoc ex duobus. Primò, quia non fuit viſum adeſſe legitima indicia ad condemnandum dictum Bartholomæum in pœnam extraordinariam, nam licèt contra illum vrgere videantur depoſitiones duarum mulierum, quæ dicunt, *che viddero che detto Bartolomeo tirò vn colpo con vn arme lunga à detto Andrea,* tamen nihil concludunt, dum ſubdunt, *che per eſſere lontane non poddero vedere, ſe lo coglieſſe,*
1 prout ita in puncto fuit decisum *per Cornazzanum deciſ.* 13. *num.* 14. *ver. tertius autem*, Et tamen ad effectum condemnandi in pœnam
2 etiam extraordinariam requiruntur indicia indubitata, vehementia, & clara, *Menoch. conſil.* 82. *num.*243. *Hondedeus conſ.*106. *num.*64. *cum alijs per Boſſium in tit. de conuictis, num.* 46. *& ſeq.* vbi dicit hoc procedere, etiam ſi delictũ ſit de occultis, & difficilis probationis.

Secundò, quia quatenus etiam dictum in-
3 dicium poſſet dici indubitatum, adhuc illud non fuit probatum, cum ſolum de eo appareat per depoſitiones dictarum mulierum, quæ licèt de iure ciuili in criminalibus admittantur ad teſtificandum *l. ex eo, ff. de teſtibus, vbi Flor. num.*2. *l. qui teſtamento, §. mulier, ff de teſtam. Grammaticus conſil.*12. *num.*17. *Blanchus de inditijs, num.*350. *Socinus conſilio* 54. *num.*6. *lib.*3. *Rolandus conſil.*24. *num.*3. *lib.*1. *cum alijs per Farinacium de oppoſit. contra perſonas teſtium quaſt.* 59. *numero* 17. Tamen admiſſæ non ſunt omni exceptione maiores. *Capella conſil. crimin.*32. *num.*2. *&* 3. *Alexand. conſil.* 74. *num.*14. *lib.*2. *Aymo conſil.*99. *num.*5. *Bertazolus conſ.*3. *num.*19. *lib.*1. *& conſil.*291. *num.*22. *lib.*2. *Rolandus conſil.*7. *num.*12. *& conſ.*24 *num.*63. *lib.*1. *Magon. deciſ. Lucan.*89. *num.*3. *cum alijs per Farinac. vbi ſupra, nu.*26.

Et nihilominus adhoc, vt ex inditiis indubitatis poſſit procedi ad condemnationem indicia debent eſſe probata per teſtes omni exceptione maiores. *Surdus conſ.*132. *num.*38. *ver. & ſicuti lib.*1. *Maſcardus concluſ.*1233. *nu.*31. *lib.*3. *cum alijs per Farinac. de reo confeſſo, & conuicto quaſt.*86. *à num.*95. *vſque ad num.*99.

Laus Deo, atque Deipara Virgini Maria.

IN CAVSA DOMINICI Ghirarducci cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Birruarij an in Iudicio faciant fidem aliquam vbi pars lucri venit illis applicanda?

SVMMARIVM.

*Birruarij in indicio nullam faciunt fidem, nu.*1.

*Maximè vbi pars lucri venit illis applicanda, num.*2.

*Accuſator non poteſt eſſe teſtis, num.*3.

*Teſtis vnicus quamuis idoneus non probat, n.*4

*Denuncia facta ab officiali, & exequutore publico in pertinentibus ad eorum officium creditur, num.*5. *declara, vt num.*6. *&* 7.

*Exequutori creditur ex diſpoſitione ſtatuti fundaci Ciuitatis Lucen. num.*8. *declara vt num.*9.

Dictio ſupradicta refertur ad pracedentia, nu. 10. *&* 11.

*Accuſatoris dicto cum depoſitione alterius teſtis creditur in materia pallinorum ex diſpoſitione ſtatuti fundaci Lucen. num.*12. *declara vt num.*13.

*Statuta recipiunt interpretationem paſſiuam à iure communi, & ab eo diſtinguuntur, n.*14.

Statutum quod credatur libro Mercatoris non procedit ſi Mercator ſit infamis, num.15.

Statutum mandans, quod de damno dato ſtari debeat iuramento damnum paſſi, non habet locum ſi damnum paſſus fuerit pariter infamis, num.16.

Birruarij ſunt homines malæ conſiderationis, & ideo habent contra eos præſumptionem, numero 17.

Sententia condemnans in pœnam corporalem, & pecuniariam debet exequi etiam quoad pœnam pecuniariam, ſi reperiatur exequuta quoad pœnam corporalem, num.18. declara vt num.19.

DECISIO XXVI.

Dominus illuminatio, & ſalus mea.

DOMINICVS Ghilarduccius fuerat à Domino Commiſſario ſex milliariorum condénatus ad ſuſtinendū duos ictus funis, & ad ſoluendum ſcuta 31. 19. ex eo, quod in eius Domo in quadam eius arca fuiſſent repertæ quædam pileæ plumbeæ in fruſtra minutim ſectæ, & nonnulli pallini, & cum à dicta ſententia appellaſſet ad Rotam illa fuit à Rota reuocata, & dictus Dominicus abſolutus, quia de prætenſa inuentione non conſtabat, niſi per depoſitionem duorum birruariorum quorum alter erat accuſator, & alter teſtis, qui propterea non probant ex duobus.

1 Primò quia ſunt birruarij, qui in iudicio nullam faciunt fidem, *Bald. in l.fin. num.47. ad finem 8.quæſt. C.de edicto Diui Adriani tollen. & in l.etiam, nu.5. C.de teſtibus. Berous quæſt. 84.num.1. Burſattus conſ.65.num.12.& conſ. 216.nu.87.& conſ.330.nu.168. & conſ.331. nu.44.Oſaſch.deciſ.Pedemontana 65.poſt nu.4. Ludouic. deciſ.Lucen.1. num.3. cum alijs per Lepidam deciſ.pariter Lucen. num.21.*

Maximè vbi pars lucri ex pecunia à delin-
2 quente exburſanda eſſet illis applicata, prout in præſenti caſu, quia tunc eo magis redduntur ſuſpecti, *BertaZol.conſil crimin.219.nu.2. & 173. num.7.*

Secundò, quia alter eorum eſt accuſator,
3 qui non poteſt eſſe teſtis *cap.forus, §.omni, de verbor.ſignific.cum ſimilibus per Farinacium in praxi q.60, illat.1.num.64.* Et ſic dicta prætenſa inuentio non remanet probata, niſi per
4 depoſitionem vnius, qui quando etiam eſſet idoneus teſtis, adhuc nihil faceret. *c.veniens, & cap.cum iure iurando de teſtibus cum ſimilibus.*

Nec obſtat quod dictus Accuſator ſit officialis, & exequutor publicus & denunciæ officialis in pertinentibus ad eius officium creden-
5 dum ſit, ac ſi deponeret vti teſtis ex traditis *per Farinacium de oppoſit. contra perſonas teſtium q.60. num.74. & de indicijs, & tortura quæſt.52. num.169. & ſeq.* quia reſpondetur
6 primò hoc non procedere in birruariis, ſed tantum in aliis denunciantibus, & officialibus deputatis ad inquirendum, *vt tradit idem Farinacius in ſua praxi quæſt.108. num.156.* vbi admonet Iudices, ne decipiantur, ſuper hoc à doctrina Paridis de Puteo.

7 Secundò reſpondetur prædictam concluſionem non procedere in cauſa graui, prout eſt iſta vbi vltra pœnam pecuniariam, eſt impoſita pœna duorum ictuum funis *ad tradita per Farinacium dicta quæſt. 108. num.54.*

Nec obſtat, quod ex diſpoſitione ſtatuti
8 fundaci *cap.12. lib.1.* credatur birruariis, quia
9 pariter reſpondetur duobus modis. Primò, quod dictum ſtatutum loquitur tantum circa res venales, & pertinentes ad officium Graſciæ, vt ex proœmio & diſcurſu in nigro illius apparet, & præſertim ex illis verbis, *Et ogni volta, che trouaranno qualche difetto, eccessi, commissioni, e coſe mal fatte da qualche perſona circa le sopradette coſe*, ponderando illa ver-
10 ba *le sopradette coſe*, quæ ad præcedentia referuntur, *Alex.conſ.140.num.3.lib.6. Decius conſ.465.num.8.cum alijs per Ruinum conſilio*
11 *103.nu.5.lib.2.* Et ſic ad res venales, & pertinētes ad graſciam, de quibus ſupra actum fuit.

Secundò reſpondetur, quod quatenus dictum ſtatutum extēderetur ad quamlibet cauſam etiam criminalem, quod tamen ex ſupradictis omninò negatur, adhuc nihil officeret in præſenti caſu, ſi quidem illud diſponit, quod credatur duobus birruarijs, qui cum iuramento de delicto teſtificētur, & in caſu noſtro, non adeſt niſi vnus, qui de prætenſo delicto teſtificetur, cum alter qui denunciauit non poſſit dici teſtis, *vt ſupra oſtenſum fuit, num.3.*

Nec pariter aliquid facere viſum fuit di-
12 ctū ſtatutum fundaci *in cap.6. lib.3.* dum loquēs in ſpecie de pallinis, diſponit credendum eſſe dicto accuſatoris coniuncto cum depoſitione vnius teſtis, vt ad literam legitur in citato capitulo, circa principium, ibi, *Da applicarſi le sopradette pene pecuniarie per*

vna

vna terza parte all'accuſatore, al qual ſi creda con vn teſtimonio, e ſuo giuramento, quia re-
13 ſpondetur, quod dum dictum ſtatutum facit mentionem accuſatoris, & teſtis, debet intelligi *de accuſatore*, & teſte idoneo, & dummodo in eis reperiantur qualitates requiſitæ à iure
14 communi, à quo interpretationem recipiunt, & diſtinguuntur, *l. ſi ſerui veſtri, C. de noxalibus, Bart. & alij in l. 1. §. lex Falcidia, ff. ad leg. Falcidiam. cap. cum dilectus de conſuetudine. Oſaſch. deciſ. 167. num. 19. Romanus conſil. 144. numero 3. cum alijs per Rolandum conſil. 37. num. 2.*

Hinc ſtatutum, quod detur fides libris Mer-
15 catorum, non procedit ſi Mercator ſit infamis, *Baldus in l. cunctos populos, C. de Summa Trinit. & fide Catholica, & in l. Caſſius vltima columna, de Senatoribus ver. vltimo quæritur cum alijs per Iaſonem in repetit. l. admonendi, num. 134. in fine de iureiurando.*

16 Et ſtatutum mandans, quod de damno dato ſtari debeat iuramento damnum paſſi, non habet locum, ſi Damnum paſſus fuerit pariter infamis. *Salicetus in l. qui iudicio, de accuſationibus, vbi refert Angelum ſic pluries conſuluiſſe, vt ipſemet Angelus teſtatur in dicta l. qui Iudicio, & ſequitur Grammaticus conſil. 1, num. 61. & alia ad propoſitum ponit Bertazol. conſil. crimin. 235. num. 8. & 9. lib. 1.*

17 Et in puncto quod depoſitiones ſolum duorum birruariorum circa delationem, & proiectionem pallinorum non ſufficiant, & niſi de tali delicto conſtet per alias probationes Reus ſit omninò abſoluendus fuit alias deciſum in hac Rota in quadam cauſa cuiuſdam Siluestri Bontempi de anno . . . Et quidem ſumma ratione, cum ex huiuſmodi hominum genere oriatur præſumptio, quod ipſi potius callide dictos pallinos in dicta arca poſuerint, vt ſæpius in facto eueniſſe dicit *Farinacius dicta quæſt. 108. nu. 44. verſic. ſic etiam*, quam quod dictus Dominicus multa paupertate grauatus illos detinere ſolitus fuerit.

Nec obſtat quod cum dicta ſententia fuerit exequuta circa pœnam corporalem, debebat etiam exequi circa pœnam pecuniariam ne fieret diſſimilitudo ſuper re vniformiter pronun-
18 ciata, & ne monſtrum ſequeretur, quod in vna & eadem cauſa eſſet data pœna, quæ ſcinderetur, ita vt ab vna daretur appellatio, & ab alia parte exequutio, ad tradita *per Cornazzanum deciſ. 193. num. 7. 11. & 14.* quia reſpondetur doctrinam Cornazzani procedere, quando de delicto conſtaret per legitimas probationes, & ſic pars ſententiæ fuiſſet exequuta de iure, & non de facto, prout hic, quæ certè etiam quoad pœnam corporalem reuocata eſſet, ſi iam dictos ictus funis non ſuſtinuiſſet.

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA D. LAVRENTII Bacchi cum Fiſco.

ARGVMENTVM.

Appellatio an detur à ſententijs latis per D. Prætorem Lucenſem contra primum offendentem, qui non conſtituit ſe in carceribus, vel Bannum non ſuſcipit?

SVMMARIVM.

Appellatio non datur à condemnationibus factis per Dominum Prætorem Lucenſem contra primum offendentem, qui non conſtituit ſe in carceribus, nec bannum ſuſcipit, numero 1.

Statuti determinatio vbi adeſt vlterius inquiri non debet, num. 2.

Inanis dicitur diſputatio, vbi adeſt caſus Statuti, num. 3.

DECISIO XXVII.

Dominus illuminatio, & ſalus mea.

DOMINI pronunciauerunt non eſſe appellationi deferendum, quia ex decreto Excellentiſſimi Conſilij ſuper Maleficijs emanato de anno 1560. apparet ordina-
1 tum, quod à condemnationibus latis per Dominum Prætorem contra primum offendentem, qui non conſtituit ſe in carceribus, nec bannum ſuſcipit non detur appellatio, nec recurſus.

Proinde cum ex proceſſu appareat D. Laurentium Bacchum fuiſſe primum offenſorem, nec ſe conſtituerit in carceribus, nec ban-

num ſuſceperit, non poterat ex diſpoſitione di-
cti decreti appellare, Et vbi adeſt ſtatuti de-
2 terminatio vlterius inquiri non debet, *Baldus in l. Gallus, §. ſi eius in 2. not. ff. de liberis, & poſthumis. Decius conſil. 484. in principio. Marſilius conſ. 131. num. 20. & conſil. 133. num. 18. cum alijs per Riminaldum iuniorem conſil. 178.*
3 *num. 36. lib. 2. vbi num. 37.* propterea dicit, quod inanis dicitur diſputatio, vbi adeſt caſus ſtatuti, & ſequuntur *Corneus conſ. 109. in fine lib. 1. Caphalus conſil. 138. num. 20. & Rolandus conſ. 72. num. 6. lib. 2.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA EXCELLENTISSIMI Domini Dominici Origiæ cum hæredibus Ioſephi Speciali.

ARGVMENTVM.

Statutum prohibens iudicibus iurare de cauſa ſibi non liquere, an habeat locum etiam quando Iudici ſupereſt de inſtantia?

SVMMARIVM.

Ratio alia vbi reddi non poteſt illa quæ redditur habetur pro expreſſa, num. 1.

Ratio alia aſſignari non poteſt cur ſtatuentes prohibuerint, quod Iudices non poſſint iurare de cauſa ſibi non liquere niſi iſta, quod Iudices in vltima die inſtantiæ non valeant ſe excuſare à ſententiando, ſub prætextu, quod de cauſa ſibi non liqueat, numero 2.

Ratio motiua ſtatuti vbi non concurrit ceſſat illius diſpoſitio, num. 3.

Statuentes prohibendo quod Iudices non poſſint iurare de cauſa ſibi non liquere, ſi intelligere voluiſſent, quod Iudici non liceret iurare de cauſa ſibi non liquere, etiam quando adhuc illi ſupereſſet de inſtantia, hoc expreſſiſſent, num. 4.

Statutum præſertim pœnale loquens in caſu ſimplici non habet locum in caſu mixto, numero 4.

Iudex pronunciando abdicat à ſe omnem iuriſdictionem, & quicquid poſtea facit dicitur facere vti priuatus, num. 5.

Iurans de cauſa ſibi non liquere debet eſſe Iudex, de tempore, quo ita iurat vt contraueniat cap. Rotæ Lucen. num. 6.

Qualitas à ſtatuto requiſita vbi non concurrit ceſſat illius diſpoſitio, num. 7.

Iudex quicquid facit poſt eius pronunciam non debet haberi in conſideratione, num. 8.

DECISIO XXVIII.

Dominus illuminatio, & ſalus mea.

QVERELA porrecta contra Excellentiſſimum D. Dominicum Origiam in eius ſyndicatu à D. Dominico Bonturio procuratorio nomine hæredũ Ioſephi Speciali duo continet capita, & Primum eſt, quod prædictus Dominus Dominicus contrauenerit cap. 49. Rotæ, dum iurauit de cauſa ſibi non liquere circa articulum continentem validitatem, vel inualiditatem Capturæ decretæ à D. Iudice primarum inſtantiarum contra Dominum Octauium Mutonum.

Secunda verò continet, quod dictus Dominus Dominicus contrauenerit *cap. ad excitandam, quod eſt 11. lib. 1. ſtatutorum,* dum præſupponitur, quod ipſe non ſententiauerit in termino dicti Capituli, & ab omnibus contentis in dicta querela dictum Dominum Origiam abſoluendum eſſe duximus.

Nam quod attinet ad primum caput querelæ, quod ipſe contrauenerit cap. Rotæ 49. dum iurauit de cauſa ſibi non liquere, clarum eſt,
1 quod debet abſolui, nam cum ratio, qua moti fuerunt ſtatuentes ad condendum *d. cap. 49.* nulla alia aſſignari poſſit, niſi iſta, quod Iudices in vltima die inſtantiæ non valeant ſe excuſare à ſententiando ſub prætextu, quod de
2 cauſa ſibi non liqueat, iſta debet haberi pro expreſſa, *Gloſ. in l. quamuis, & ibi Baldus, C. de fideicommiſſis. Imola in l. fin. ff. de hæredibus inſtituendis. Alexand. conſilio 48. num. 4. lib. 1. Decius conſilio 15. num. 2. ver. ad hoc eſt Gloſ.* Et conſequenter cum de tempore, quo dictus Dominus Dominicus iurauit de cauſa ſibi non liquere, adhuc ei ſupereſſet de inſtantia, certè non poteſt dici, quod in aliquo contrauenerit

Digitized by Google

nerit *d.cap.*49. ex illa vulgata regula, quod
3 vbi non concurrit ratio motiua ſtatuti ceſſat illius diſpoſitio. *l.cum pater*, §.*dulciſſimis*, *ff. de legat.*2.

Quod autem de tempore, quò dictus Dominus Dominicus iurauit de cauſa ſibi non liquere, adhuc ſupereſſet de inſtantia patet *ex ſequentibus*.

Nam aut volumus, quod Articulus circa nullitatem capturæ habeat de inſtantia ſex dies vtiles *iuxta formam cap.*52. *Rota*, Aut quod nullam habeat inſtantiam præciſam.

Et primo caſu certè dictus Dominus Dominicus in aliquo non contrauenit, nam cum à die primæ comparitionis, quæ fuit dies 4. Nouembris adhuc haberet de inſtantia vigore *dicti cap.*52. Rotæ ſex dies vtiles, illa durabat non ſolum ad diem monitionis factæ per ipſum, ſed etiam ſe extendebat ſatis vltra, & ſic apparet, quod non iurauit de cauſa ſibi non liquere in fine inſtantiæ, ſed intra inſtantiam, quod optimè facere poterat, attenta, & conſiderata illa vnica, & potiſſima ratione, qua moti fuerunt ſtatuentes ad condendum *dictum cap. Rotæ* 49.

Et quod iſta, & præcipua vnica ratione ſtatuentes moti fuerint ad condendum dictum
4 ſtatutum patet ex hac alia conſideratione, nam ſi per *dictum cap.*49. intelligere voluiſ-
5 ſent, quod Iudici non liceret iurare de cauſa
6 ſibi non liquere, etiam quando illi ſupereſſet de inſtantia hoc expreſſiſſent, cum non minus facilè fuiſſet illis hoc exprimere, quam exprimere, quod Iudices non poſſent iurare de cauſa ſibi non liquere, in quauis cauſa ſiue ordinaria, ſiue extraordinaria, quod cum non fuerit per illos expreſſum certè hunc caſum noluiſſe comprehendere dicendum eſt, *argumento l.*1. §.*ſin autem ad deficientis*, *C.de caduc. tollen.*

Aut verò volumus dicere, quod dictus articulus nullam habeat inſtantiam præciſam, & tali caſu, cum in proceſſu non appareat fuiſſe ſuper illo intentatum. *cap. ad excitandam multò magis potuit* dictus Dominus Dominicus iurare de cauſa ſibi non liquere, & monere partes ad diem Lunæ, cum non eſſet adſtrictus pronunciare ſuper dicto articulo magis vna die, quam alia, & ſic ſemper verum erit, quod dictus Dominus Dominicus in aliquo nõ contrauenit *dicto cap. Rotæ* 49. dum iurauit de cauſa ſibi non liquere, & monuit partes ad diem Lunæ, Maximè cum ſumma ratione monuerit partes ſuper dicto articulo, ſi quidem eadem hora, in qua pronunciauit nõ eſſe deferendum recurſui fuit in actis producta quædam cœdula informatiua ſuper nullitate, & inualiditate capturæ, cuius cœdulæ fuit etiam à parte petita copia cum termino ad opponendum.

Accedat prædictis, quod dictus Dominus Dominicus in pœnam *d.cap.*49. incurriſſe dici non poteſt, quamuis iurauerit de cauſa ſibi non liquere, nam non ſimpliciter, & abſolutè iurauit de cauſa ſibi non liquere, quemadmodum verba *d.cap.* ibi loquuntur, ſed primo loco pronunciauit non eſſe deferendum recurſui, & poſtea in ſecundo articulo quoad nullitatem capturæ iurauit de cauſa ſibi non liquere, Et propterea diſtulit eius pronunciam monendo partes ad diem Lunæ. Quamobrem ſuccedere viſum nobis fuit claram diſpoſitionem, quod ſtatutum præſertim pœnale loquens in caſu ſimplici locum non habeat in caſu mixto *ad Gratum conſil.*47. *num.*19. *lib.*1. *& de communi*. *Parſius conſilio* 54. *num.*27. *lib.*2.

Quod verò attinet ad ſecundum caput querelæ, Quod ipſe contrauenerit *cap. ad excitandam*, non conſtat in proceſſu, quod dictus Dominus Dominicus contrauenerit, cum ſuper articulo an eſſet deferendum recurſui pronunciauerit ſimul cum ſuis Collegħis in termino trium ſeſſionum, quæ conceduntur *à dicto cap. ad excitandam*, vt clarè apparet ex lectura ipſius proceſſus.

Additur ex abundanti, quod cum dictus Dominus Dominicus, pronunciando cum ſuis Collegħis, non eſſe deferendum recurſui, per dictam pronunciam abdicauerit à ſe omnem iuriſdictionem quo ad nullitatem capturæ, *l. Iudex poſteaquam*, *& l. quod iuſſit*, *ff de re iudicata*, Reliquum eſt, quod quicquid poſtea fecit, fecerit, vti priuatus, & non vti Iudex, & nihilominus cap. prædictum Rotæ requirit hanc qualitatem, quod Iudex ſit, qui abſtinere ſe debeat à pronunciando, ſibi de cauſa non
7 liquere, Et vbi non concurrit qualitas ſtatuti, ceſſat illius diſpoſitio, *l. iſta ſtipulatio*, *la ſeconda*, §.1. *ff. de verborum obligat.*

Nec obſtat, quod dictus Dominus Dominicus iurauerit de cauſa ſibi non liquere eodem contextu, quo ſententiauit non eſſe deferendum recurſui, quia cum prædicti articuli ſint

ſepa-

Digitized by Google

8 ſeparati, vt apparet ex ipſo proceſſu, quicquid fecit poſt pronunciam prædictam, non debet haberi in conſideratione tanquam ocioſè appoſitum *ad tex. in l. teſtamentum, vbi Gloſ. in ver. cautela, C. de teſtamentis.*

Atque ex his dictum Dominum Dominicum à prædicta querela, & omnibus in ea contentis abſoluendum fore exiſtimauimus, prout abſoluimus.

Abſoluimus etiam querelantem ab expenſis, quia ſtante illa generali diſpoſitione *cap.* 49. viſum fuit habuiſſe aliquam cauſam querelandi, *ad cap. primum de elect. in 6. in fine.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA EXCELLENTISSIMI Domini Marci Antonij Diuerſi, cum Spectabili Octauio Bernardo.

ARGVMENTVM.

Inſtrumentum an habeatur pro ſolemni, & publico, vbi contra illud nihil reperitur oppoſitum in termino dato ad opponendum?

SVMMARIVM.

Oppoſitiones debent fieri in ſpecie, & non in genere, num. 1.

Inſtrumentum, contra quod non fuit aliquid in ſpecie oppoſitum in termino ad opponendum habetur pro ſolemni, & publico, numero 2.

Iudex non poteſt ex officio reijcere inſtrumentum, contra quod nihil fuit oppoſitum in termino, ſed illi fidem adhibere tenetur, num. 3.

Priuata ſcriptura habetur pro publica ſi non fuerit contra eam, aliquid oppoſitum in termino ad opponendum, num. 4.

Nobilis perſona non eſt veriſimile, quod produxiſſet inſtrumenta minus vera, num. 5.

Auditores Rotæ Lucen. procedunt de plano, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, num. 6.

Sola facti veritate inſpecta vbi proceditur fides adhibetur probationibus tantum veroſimilibus, ac perſuaſiuis, num. 7.

Statutum vbi requirit aliquid pro forma ad aliquem finem poteſt adimpleri per aquipollens, num. 8.

Opponi non poteſt contra inſtrumentum poſt terminum ad opponendum, num. 9.

Exceptiones quæ proueniunt ex ipſo inſtrumento debent ſuppleri à Iudice etiam ſi à parte non opponantur, num. 10.

Ius commune non attenditur vbi adeſt ſtatutum, num. 11.

Statutum vnum per aliud declaratur, numero 12.

Iuramentum importat ſtipulationem, num. 13.

Stipulatio obligationem inducit, num. 14.

Obligatio inducta per ſtipulationem eſt perſonalis, num 15.

Debitores in Gallia non capiuntur perſonaliter, num. 16.

Conſuetudo Galliæ non extenditur ad forenſes, num. 17.

Debitores obligati per publicum inſtrumentum ad inſtantiam ſuorum creditorum carcerari poſſunt ex diſpoſitione ſtatuti Lucenſis, numero 18.

In ordinatorijs attenduntur ſtatuta loci iudicij, num. 19.

Stylus fori, in quo cauſa ventilatur ſemper attendi debet, num. 20. *etiam ſi ſit contra ius, num.* 21.

Captura nulla, ſi alias ſit iuſta eſt confirmanda, num. 22.

Captura nulla, ſi aliàs ſit iuſta confirmatur ex nouis probationibus, num. 23. *Etiam ſi eſſet nulla ob non ſeruatam formam ſtatuti, numero* 30.

Probatio dicitur facta in termino, quando exemplum, & copia inſtrumenti fuit producta in termino, & authenticum poſt terminum, numero 24.

Maximè ſi probationes poſtea factæ non tendant ad aliud niſi ad demonſtrandum, & declarandum inſtrumentum ab initio productum fuiſſe, & eſſe publicum, num. 25.

Declarans nihil de nouo addit, num. 26.

Tritans granum ſub ariſtis latens nouam ſpeciem non inducit, num. 27.

Declarationis natura eſt, vt probatio declaratoria retrotrahatur ad tempus celebrati contractus, num. 28.

Ex-

Exclusus ab aliquo actu de nouo faciendo, non eſt excluſus à declaratione actus iam facti, num. 29.

Ab expenſis abſoluitur qui habuit aliquam cauſam litigandi, num. 31.

Articulorum varietas excuſat ab expenſis, numero 32.

DECISIO XXIX.

Dominus illuminatio, & ſalus mea.

DIXIMVS Excellentiſſimum Dominum Marcum Antonium Diuerſum olim Iudicem primarum inſtantiarũ huius Ciuitatis abſoluendum fore, & eſſe à querela cõtra ipſum in eius Syndicatu porrecta à Spect. Octauio Bernar-
1 do, *ex ſequentibus*. Primò, quia cum contra
inſtrumentum, quod prætendebatur carere in-
dictione, & alijs ſolemnitatibus, de quibus *in*
cap. 90. ſtatut. lib. 1. à Spect. Octauio Bernar-
di non fuerit in ſpecie oppoſitum, prout oppo-
ni debebat, *iux. diſpoſitionem c. 44. ſtatutorum*
eiuſdem lib. 1. in termino ſibi ad opponendum
concesso, Reliquum eſt, quod dictum inſtru-
mentum fuerit per ipſum ita, & taliter in om-
2 nibus approbatum, vt per Iudicem potuerit
haberi pro publico, & ſolemni, *Aegidius Bel-*
lamera deciſ. 540. incipit ſi pars. Rota Roma-
na deciſ. 2. de fide inſtrumentorum in nouis.
Surdus deciſ. 199. num. 8. & 9. Rutens deciſ.
159. lib. 1. & 119. lib. 2. Magonius deciſ. Lu-
cen. 96. num. 21. cum alijs per Gomeſ. variar.
reſolut. tomo 2. cap. 11. ver. item adde, vbi di-
cit, quod ſi à parte non opponitur in terminó
inſtrumentum, ſeu ſcripturam productam eſſe
defectuoſam, Iudex ex officio illam reijcere
3 non debet, ſed dicto inſtrumento, & ſcripturæ
fidem adhibere tenetur.

Et prædicta ſunt adeo vera, vt etiam ſi eſſet
4 priuata ſcriptura adhuc habenda eſſet pro pu-
blica, *Felin. in cap. cum in iure, num. 9. circa*
finem de officio delegat. Salicetus in l. fin. ſub
num. 1. C. de fide inſtrumentorum. Paulus de
Caſtro conſil. 394. num. 1. lib. 1. Aymo conſilio
150. num. 1. & conſil. 275. num. 2. & 3. Si-
mon de Pretis conſil. 93. num. 35. cum alijs plu-
ribus per Menochium de præſumptionibus lib. 2.
præſumptione 46. per totam.

Quæ omnia multò magis in caſu noſtro pro-
cedere debent attenta, & conſiderata qualita-
te, & nobilitate Spect. Laurentij Cœnami, qui
5 illud inſtrumentum produxit, cum non ſit ve-
riſimile, quod perſona talis qualitatis produ-
xiſſet ſcripturas, & inſtrumenta minus vera,
vt rectè ponderatur *per Salicetum in l. compa-*
rationes, num. 17. in fine, C. de fide inſtrumen-
torum, & Paul. de Caſtro conſil. 394. ſub num. 1.
lib. 1.

Et conſequenter attenta qualitate Spect.
Cœnami, & viſo quod pro parte Spect. Octa-
uij Bernardi non fuit cõtra dictum inſtrumen-
tum in ſpecie oppoſitum ſatis potuit dictus D.
Marcus Antonius illud habere pro publico, &
ſolemni, Maximè cum ex diſpoſitione ſtatuti
6 *cap. 14. lib. 1.* dictus D. Iudex teneretur pro-
cedere de plano, ſine ſtrepitu, & figura Iudi-
7 cij, & ſola facti veritate inſpecta, quo caſu po-
terat fidem adhibere probationibus tantum
veroſimilibus, ac perſuaſiuis, *Baldus in l. ſo-*
lam, num. 13. C. de teſtam. Aymo conſ. 72. num.
25. cum alijs per Decium conſil. 11. num. 2.

Nec nobis obſtare viſum fuit, quod ex di-
ſpoſitione ſtatuti *cap. 114. lib. 1. in ver. volu-*
mus. Iudex teneretur prius videre inſtrumen-
tum eſſe publicum, quia reſpondetur, quod eo
ipſo, quod Iudex vidit. In termino ad oppo-
nendum non fuiſſe illi per partem aliquid in
ſpecie oppoſitum prout tenebatur; Illud habe-
re potuit pro publico, & ſolemni, vt diximus,
quia cùm ſtatutum prædictum non ſit factum
ad alium finem, niſi, vt quis non poſſit carcera-
ri pro debito, niſi prius conſtet Iudici de bono
iure creditoris, ſatis dicitur conſtitiſſe dicto D.
Marco Antonio de bono iure Spectabilis Lau-
rentij Cœnami, creditoris dicti Spect. Octauij
eo ipſo, quod dictus Dominus Marcus Anto-
nius vidit contra inſtrumentum; de quo agitur
nihil fuiſſe pro parte Spect. Octauij in ſpecie
oppoſitum. Clara eſt enim iuris diſpoſitio,
8 quod vbi ſtatutum requirit aliquid pro forma,
ad aliquem finem tũc poteſt impleri per æqui-
pollens, & ſic ſufficit, quod per non oppoſitio-
nem partis dictum inſtrumentum potuerit ha-
beri pro publico. *Baldus in l. ſi duo patroni, §. ſi*
9 *quis iurauerit, nu. 5. ver. quæro quod dicitur, ff.*
de iure iuran. Bart. & DD. in l. Gallus, §. ex quid
ſi tantum col. 2. ff. de liberis, & poſthumis. Ro-
manus conſil. 433. num. 2. cum alijs per Caſſa-
dorum deciſ. 2. de iudicijs.

Nec

Nec aliquid facit illa generalis oppoſitio,
de qua in proceſſu, tum quia, vt diximus ex
diſpoſitione ſtatuti 44. *lib.* 1. omnes exceptio-
nes debent opponi in ſpecie, aliàs habentur
pro non appoſitis, Tum etiam quia non fuit
facta in termino, ſi quidem tempus ad oppo-
nendum cadebat ſub die 20. Nouembris, &
dicta generalis oppoſitio fuit facta ſub die 22.
eiuſdem Menſis, & ſic poſt terminum, & vbi
9 contra inſtrumentum non eſt oppoſitum in
termino, non poteſt contra illud amplius op-
poni. *Put. deciſ.* 129. *lib.* 2.

Nec obſtat, quod exceptiones, quæ proue-
10 niunt ex ipſo inſtrumento debent ſuppleri à
Iudice, etiam ſi à parte non opponantur, quia
reſpondemus hoc procedere de iure commu-
ni, Secus autem vbi habemus claram diſpo-
11 ſitionem ſtatuti, vt hic, quia vbi adeſt ſtatutum
ius commune non attenditur, *Bald. in authent.
hodie, C. de iudicijs. Decius conſil.* 372. Viſis,
& diligenter conſideratis *colum.* 2. *cum alijs
per Rimínaldum iuniorem conſil.* 178. *num.* 37.
lib. 2. vbi quod inanis dicitur diſputatio vbi
adeſt caſus ſtatuti.

Nec obſtat quod ſtatutum *in cap.* 90. diſpo-
nat, inſtrumentum confectum abſque ſolemni-
tatibus, de quibus ibi non facere fidem, quia re-
ſpondetur quod non dicit, quod non faciat fi-
dem, etiam ſi à parte non opponatur. Vnde
cum ex diſpoſitione ſtatuti *cap.* 44. *lib.* 1. de-
beat contra inſtrumentum in ſpecie à parte
opponi, illud eſt ſeruandum, cum non ſit no-
12 uum, vnum ſtatutum per aliud declarari *l. non
eſt nouum. & l. ſed & poſteriores, ff. de le-
gibus.*

Nec obſtat, quod dicebatur contra Spect.
Octauium nō potuiſſe relaxari exequutionem
perſonalem, quia non apparebat in dicto in-
ſtrumento obligata eius perſona, nam pro re-
ſponſione dicimus aduertendum, quod cum
medio iuramento promiſerit ſoluere ſummam,
de qua in dicto inſtrumento, illud iuramentum
importat ſtipulationem, *Iaſon in l. ſtipulatio
13 iſta, §. alteri, num.* 4. *& Alex. num.* 9. *ff. de ver-
14 borum obligat.* Et ſtipulatio obligationem in-
ducit. *l.* 1. *§. verbis autem, ff. de act. & obligat.*
15 & talis obligatio eſt perſonalis, *Guido Papa
deciſ.* 190. *num.* 2. *cum ſeq.* vbi in puncto di-
cit iuramentum inducere obligationem per-
ſonalem.

Prout etiam nec aliquid facere viſum fuit,
16 quod dictum inſtrumentum fuerit confectum
in Gallia, & quod in Gallia de conſuetudine
debitores non capiuntur perſonaliter, quia re-
17 ſpondetur, quod conſuetudo Galliæ non ex-
tenditur ad forenſes, nec circa eos aliquid di-
ſponere valet, *Bart. in l. cunctos populos, num.
26. ver. ſed circa, C. de Summa Trinit. & fide
Catholica. Riminaldus iun. conſil.* 11. *num.* 12.
lib. 1. *& conſ.* 479. *num.* 1. *&* 2. *lib.* 4. *cum alijs
per Caccialupum in l. cunctos populos col.* 53.
C. de Summa Trinit. & Fide Catholica, Et con-
ſequenter cum dictus Spect. Octauius non eſ-
ſet Gallus, ſed Lucenſis non poteſt dicta con-
ſuetudine iuuari.

Accedat prædictis, quod cum ex diſpoſitio-
18 ne ſtatuti huius Ciuitatis debitores obligati
per publicum inſtrumentum carcerari poſſint
ad inſtantiam ſuorum creditorum iſtud omni
caſu eſt ſeruandum, & non attendenda con-
ſuetudo Galliæ, cum in ordinatorijs ſemper
19 ſunt attendenda ſtatuta loci Iudicij, *Bart. in
dicta l. cunctos populos, num.* 13. *ver. & primo
quæro cum ſequentibus, C. de Summa Trinit. &
Fide Catholica. Doctores in rubrica de conſue-
tudine, & ibi Butrius, num.* 4. *&* 13. *Alexand.
in l.* 1. *num.* 19. *ff. de legat.* 2. *Cynus in l.* 1. *in
2. quæſt. C. quæ ſit longa conſuetudo. Paulus de
Caſtro in l. à Diuo Pio, §. ſententiam, num.* 4. *&
ibi Alex. in add. ad Bartolum in fine, ff. de re
iudic. Ruinus conſilio* 227. *num.* 7. *lib.* 1. *cum
alijs per Rolandum conſ.* 48. *num.* 6.

20 Stylus enim fori, in quo cauſa ventilatur,
ſemper attendi debet, *l.* 3. *in fine, ff. de teſti-
bus. l. minime, ff. de legibus. Dec. conſil.* 402.
num. 11. *Marſil. ſing.* 118. *Aegidius deciſ.* 28.
& 82. *cum alijs per Alexandrum conſilio* 240.
21 *num.* 2. *lib.* 6. vbi amplius dicit hoc procedere
etiam ſi ſit contra ius.

Secundò principaliter dictum Dominum
Marcum Antonium abſoluendum eſſe duxi-
mus, quia dato, & non conceſſo, quod ipſe vi-
gore dicti inſtrumenti non potuiſſet à princi-
pio concedere dictam exequutionem, nihilo-
minus ſtante, quod poſtea, tam ex confeſſione
ipſius Spect. Octauij, quam ex probationibus,
quas dictus Spect. Octauius paſſus fuit fieri
per Spect. Laurentium Cœnamum conſtiterit
de bono iure, & veritate crediti dicti Spect.
22 Laurentij, adhuc dicta exequutio ſiue captu-
ra potuit confirmari per dictum Dominum
Iudicem, & declarari dictum Spect. Octauium
fuiſſe legitimè captum, & proinde in carceri-
bus eſſe detinēdum, quia captura nulla ſi aliàs

ſit

Digitized by Google

ſit iuſta, eſt confirmanda, *Iaſon in l. à Diuo pio, §. in venditione, ff. de re iudicata. Pariſ. conſil. 99. num. 25. lib. 3. Paulus de Caſtro conſil. 39. Incipit in cauſa captura lib. 1. Rimiualdus iun. conſ. 25. num. 9. Carpan. ad ſtatuta Mediolani cap. 242. num. 22. Valentins de nullit. ſenten. tit. vltimo, num. 121. Grammaticus deciſ. 237. nu. 23. Flamm. Cartarius deciſ. 14. num. 15. & deciſ. 39. num. 7. & 8. Surdus de alimentis tit. 9. quaeſt. 32. num. 34. & de communi, & de magis communi. Aſinius in ſua praxi, §. 31. cap. 6. num. 2. Burſatus conſil. 74. num. 167. lib. 1. Viuius comm. opin. concluſ. 36. lib. 2. Decius conſil. 449. num. 19. Aymo conſilio 65. num. 4. Marta in deciſ. Piſan. voto 79. Rota Romana deciſ. 151. num. 5. par. 1. diuerſorum. Alexand. Trentacinq. in ſuis varijs reſolut. lib. 3. tit. de ſolut. reſol. 10. num. 31. Seraphin. de priuilegio iuramenti, priuilegio 39. num. 2. cum alijs per Farinacium in ſua praxi crimin. quaeſt. 27. num. 151.* vbi de magis communi, & quod ita obſeruatur, & quod Iudex in aliquo non tenetur.

Et prædicta procedunt etiam ſi captura
23 confirmaretur ex nouis probationibus. *Imola in l. 2. num. 6. ff. ſoluto matrimonio. Romanus in l. ſi fideiuſſor, num. 68. ff. qui ſatiſdare cogantur. Baldus conſ. 285. num. 7. in fine lib. 1. Alexand. conſ. 19. num. 12. lib. 3. Paulus de Caſtro conſ. 472. lib. 1. Decius conſil. 449. nu. 17. & 18. cum alijs per Farinacium dicta quaeſt. 27. num. 151. limit. 2.*

Nec obſtat, quod literæ teſtimoniales fuerunt pro parte Spect. Laurentij productæ extra terminum decem dierum, quia ex quo in termino fuit productum exemplum dicti in-
24 ſtrumenti, potuit poſt terminum produci illius authenticum, & probatio dicitur facta in termino, nam productio retrotrahitur ad tempus habile, & perinde eſt, ac ſi in termino facta eſſet, *Baldus in cap. 1. in principio de fide inſtrumentorum, & Dec. in authent. ſi quis in aliquo, num. 2. & 3. C. de edendo, & poſt alios, quos allegat tradit Surdus deciſ. 166. num. 2. & deciſ. 327. nu. 22.*

Et illud tandem nobis viſum fuit tollere difficultatem, quia probationes poſtea factæ non
25 tendebant ad iuſtificationem exequutionis, & capturæ antea conceſſæ, ſed ſolum ad demonſtrandum, & declarandum inſtrumentum ab initio productum fuiſſe, & eſſe publicum, ſicuti per rerum naturam iam certum, & publicum erat, *arg. §. conditiones, inſtitut. de verbor. obli-
26 gat. l. cum ad praeſens, ff. de rebus creditis.* Declarans enim nihil de nouo addit. *l. heredes palam, §. ſed & ſi notam, ff. ſi ſeruitus vendi-
27 cetur,* ſicut ille qui tritans granum ſub ariſtis latens nouam ſpeciem non inducit, *Baldus in l. edita in decima oppoſitione, C. de edendo, vbi
28 Dec. num. 48.* ſi quidem natura declarationis eſt, vt probatio declaratiua retrotrahatur ad tempus celebrati actus, *Gloſ. & Doctores in cap. cum tu, de vſuris. Socin. ſen. conſ. 23. num. 19.
29 lib. 4.* Et ideo excluſus ab aliquo actu de nouo faciendo, non eſt excluſus à declaratione actus iam facti, *Oldradus conſilio 166. num. 2. & Dec. conſil. 517. num. 3.*

Tandem nō fuit viſum nobis obſtare, quod ex aduerſo dicebatur capturam nullam à principio, ex eo quod non fuit ſeruata forma tradita à ſtatuto, non potuiſſe confirmari, quia quatenus fuiſſet nulla, quod omninò per nos negatur ex ſupra deductis, adhuc dicimus potuiſſe confirmari ex ſuperueniente iuſtificatione,
30 vt in puncto ſcriptum reliquit, *Caſtrenſ. 19. num. 2. ver. praeterea quoties, & per totum lib. 1.* vbi probat ſufficere, quod Iudicis opinio concurrat cū veritate poſtea probata, vt per eum, quem in terminis ſequuntur *Ruinus conſ. 152. num. 9. lib. 4. & Menoch. de adipiſcen. poſſeſſione remedio 5. num. 66. & 67. cum alijs per Riminaldum iun. conſ. 125. per totum, & praeſertim, num. 9. cum pluribus ſequentibus, ver. quibus tamen non obſtantibus* in cuius caſu, tempore conceſſæ capturæ fuerat exhibita Domino Iudici ſola copia inſtrumenti, quod poſtmodum in forma iuris valida fuit productum, & fuit concluſum capturam eſſe confirmandam, & ſumma ratione, vt euitentur circuitus, & litium expenſæ, quæ maximè legis, & ſtatutorum diſpoſitiones abhorrent, *ad tradita in l. cum fundum, §. ſeruum, ff. ſi certum petatur. l. in teſtamento ff. de condit. & demonſtrat. Baldus conſ. 100. in fine l. 4. Curt. iun. conſ. 127. num. 5. in fine. Afflictus deciſ. 8. in fine. Vincentius de Franchis deciſ. 527. num. 13.* Et in terminis quod captura relaxata non viſo prius inſtrumento publico à Iudice ex ſuperueniente iuſtificatione fuerit confirmata primo à Domino Iudice à quo, & deinde à tota Rota, vt eſt videre in vna deciſione manuſcripta in cauſa Attolij Laurentij Granotti cum Lazaro eius fratre.

Atque ex his fuit à nobis dictus Dominus Mar-

31 Marcus Antonius à prædicta querela abſolutus, prout etiam abſoluimus dictum Spectabilem Octauium querelatorem ab expenſis ob varietatem articulorum *ad tradita per Doctores in l. properandum, §. ſin autem alterutra, C. de iudicijs.*

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

IN CAVSA CAPITANEI Thomæ Gualterij olim Bariſello Illuſtriſſimæ, & Excellentiſſimæ Reipublicæ Lucenſis cum Fiſco, & Spect. Ioſeph Synibaldo.

ARGVMENTVM.

Exequutor vt poſſit redargui de iniuſta captura, an ſit neceſſe quod conſtet fuiſſe factam animo iniuriandi?

SVMMARIVM.

Actore non probante Reus abſoluitur, numero 1.

Inhibitio obtenta parte non citata eſt nulla, num. 2.

Inhibitio nulla non cauſat attentata, numero 3.

Nullum quod eſt, nullum poteſt producere iuris effectum, num. 4.

Recurſu pendente nihil eſt innouandum poſtquam de recurſu facta eſt fides, num. 5. declara, vt num. 6.

Ad effectum incurrendi pœnam attentatorum requiritur inhibitio, num. 7.

Exequutor vt poſſit redargui de iniuſta captura neceſſe eſt, quod conſtet fuiſſe factam animo iniuriandi, num. 8.

Qui iure publico vtitur non dicitur facere animo iniuriandi, num. 9.

Quæ iure poteſtatis à Magiſtratu fiunt ad iniuriarum actionem non pertinent, num. 10.

DECISIO XXX.

Dominus illuminatio, & ſalus mea.

IN Syndicatu Capitanei Thomæ Gualterij olim Barigelli huius Illuſtriſſimæ, & Excellentiſſimæ Reipublicæ duæ fuerunt contra ipſum porrectę querelæ, altera generalis, quæ de more à Magnifico Domino Procuratore fiſcali contra omnes officiales porrigitur, & altera Specialis, quæ fuit contra ipſum data à Spectabili Ioſephi Synibaldo, ſub prætextu quod dictus Capitaneus Thomas animo iniurandi dictum Spectabilem Ioſeph attentauerit procedere ad eius capturam, non obſtante, quod pro parte d. Spect. Ioſeph eſſet illi intimatum, quod à dicta captura contra eum conceſſa penderet recurſus ex defectu iuriſdictionis coram Rota, & ab omnibus prædictis querelis dictum Capitaneum Thomam abſoluendum eſſe duxi.

Et quòd attinet ad generalem inquiſitio-
1 nem illum ab ea abſolui, quia pro parte fiſci nihil fuit probatum, Vnde ſuccedit regula, quod Actore non probante Reus abſoluitur, *l. qui accuſare, C. de edendo cum ſimilibus.*

Quod verò pertinet ad querelam Spect. Ioſeph pariter dictum Capitaneum abſoluendum dixi tam reſpectu attentatorum, quam reſpectu iniuriarum.

Dixi autem abſoluendum reſpectu attenta-
2 torum, quia, cum inhibitio illi intimata non eſſet in forma probāti, videlicet obtenta, citata parte, & ſic cum cauſæ cognitione fuit, & erat nulla, tam vigore *cap. Rota 45. quam ex diſpoſitione iuris communis, ad tradita per Lancellotum, de attentatis par. 2. limit. 1. num. 6.* quo
3 caſu nulla potuit cauſare attentata, vt dicit idem *Lancellotus vbi ſupra, & ſequitur Hondedeus conſil. 27. num. 21. & 22. lib. 2. poſt Rui-*
4 *num conſil. 61. num. 28. lib. 5.* Et meritò, quia nullum quod eſt nullum poteſt producere iuris effectum *argumento l. eius, qui in prouincia. ff. ſi certum petatur.*

Nec obſtat quod pendente recurſu nihil
5 erat innouandum per dictum Capitaneum, poſtquam ei de recurſu fuit facta fides, vt diſponitur *in cap. Rota 29. ver. & ſi recurſum petens, ibi,* & dicta cauſa pendente nihil innouan-

uandum ſit,quia *dictũ cap. Rotæ* reſpicit nullitatem actus non autem pœnam,& ſic ad ſummum virtute *dicti cap.29.* dicta captura poterat declarari nulla, & non attendenda non autem poteſt dici, quod dictus Capitaneus
7 fuerit incurſus in pœnam attentatorum, quia ad effectum incurrendi pœnam attentatorum vlterius requiritur inhibitio, *vt latè per Lancellotum, de attentatis poſt inhibitionem in præfatione, & de pœnis attentatorum*. Vnde cum in caſu noſtro nulla eſſet inhibitio ſaltem legitima, vt dixi, reliquum eſt, quod dictus Capitaneus non fuerit factus reus aliqua pœna.

Quod verò dicitur hoc fuiſſe factum à dicto Capitaneo animo iniuriandi dictum Spect. Ioſeph, hoc pariter ceſſat, quia non apparet
8 in proceſſu probatum,& tamen ad effectum,vt contra exequutorem ob iniuſtam capturam agi poſſit, neceſſe eſt, quod conſtet fuiſſe factam animo iniuriandi, cum ille,qui iure pu-
9 blico vtitur non dicatur facere animo iniu-
10 randi, & quæ iure poteſtatis à Magiſtratu fiunt ad iniuriarum actionem non pertinent *l.iniuriarum in principio in ver. is, qui iure publico, & in* §. 1. *eiuſdem legis in fine, in ver. quæ iure poteſtatis, & l.quod Reipublicæ, ff.de iniurijs*.

Laus Deo, atque Deiparæ Virgini Mariæ.

FINIS.

Digitized by Google

DECISIO XXXI.

alìas

CONSILIVM PRO DD. DATIARIIS, ET CAMERA BONONIAE.

Contra Salamonem, & Ioſeph de Auxilijs Hæbreos Mutinenſes.

ARGVMENTVM.

Gabella pro contractu conditionali, an debeat ſolui in loco contractus, vel in loco purificatæ conditionis?

SVMMARIVM.

GABELLAM non ſolnens pro emptione ſerici incidit in commiſſum, num. 1.

Contractus factus Mutinæ dere exiſtenti Bononia ſub conditione, ſi placuerit emptori, dicitur perfectus Bononiæ, numero ſecundo.

Gabella debet ſolui in loco, vbi contractus accipit ſuam perfectionem, num. 3.

Conditio, ſi placuerit, nonam voluntatem deſiderat, num. 4.

Velle, & nolle, vbi eſt repoſitum in voluntate alterius contrahentis ante declarationem ſua voluntatis non dicitur conſtare de contractu, numero 5.

Conditio ante eius purificationem nihil ponit in eſſe, num. 6.

Legatum alimentorum factum ſub conditione ſi legatarius illa voluerit non debetur, niſi declaret ſuam voluntatem, num. 7.

Clauſula & non alias eſt præciſa, num. 8.

Clauſula & non aliàs remouet conſenſum, numero 9.

Conſenſu ſublato ceſſat contractus, num. 10.

Conſenſus requiritur in omnibus dependentibus à voluntate, num. 11.

Conditio in contractibus conditionalibus retrotrahitur ad diem celebrati contractus, numero 12.

Gabella pro contractu conditionali debet ſolui in loco contractus, & non purificatæ conditionis, num. 13.

Conditiones omnes retrotrahuntur ad diem celebrati contractus, præterquam illa, quæ pendet à voluntate, & poteſtate debitoris, ita vt eo inuito adimpleri non poſſit, num. 14.

Conditio ſi placuerit emptori, tamquam poteſtatiua non retrotrahitur, ſed operatur quod tunc demum contractus vires accipiat, & perfectionem, quando declaratur placere, num. 15.

Legatum factum ſub conditione poteſtatiua, quæ indiget declaratione, Declaratio debet fieri ſingulo anno, nec ſufficit ſi fieret poſt longum interuallum, num. 16.

Conditione poteſtatiua pendente nullum ius dicitur parti quæſitum ante declarationem, nu. 17.

Contractus ſub conditione poteſtatiua non dicitur initus, ſed ineundus, num. 18.

Gabella pro contractu ſub conditione poteſtatiua debet ſolui Gabellario exiſtenti in loco purificatæ conditionis, & non Gabellario exiſtenti in loco contractus, num. 19.

Contractus factus ſub conditione ſi placuerit valet, num. 20.

Contractus factus ſub conditione ſi placuerit valet prout ex nunc, & non prout ex tunc, numero 21.

Digitized by Google

Doctores decidentes caſum in terminis attendi debent, num. 22.

Confeſſio qualificata debet acceptari cum ſua qualitate, num. 23. & 24.

Confeſſio qualificata non debet acceptari cum ſua qualitate, quando qualificationi obſtat iuris præſumptio, nam tunc acceptatur confeſſio, & reijcitur qualitas, num. 25.

Homicida confitens ad ſui neceſſariam defenſionem occidiſſe habetur perinde, ac ſi homicidium commiſiſſet, niſi dictam qualitatem probet, num. 26.

Emere quis non præſumitur, niſi prius viderit rem, & eius qualitatis ſit informatus, nu. 27.

Pretium dependet à qualitate rei, num. 28.

Vendere quis non præſumitur habita fide de pretio, abſque ſcriptura, maximè inter perſonas incognitas, & vbi conuentio continet plura, & diuerſa capita, num. 29.

Concluſio, & non tractatus attenditur in contractibus, num. 30.

Scriptura præſumitur ſaltem facta in actu traditionis rei, quando venditor habuit fide de pretio, num. 31.

Inuериſimile allegare, eſt allegare imaginem falſitatis, num. 32.

Contraria deponentes ad inuicem ſe deſtruunt, num. 33.

Dolus, & fraus præſumitur ex clandeſtinitate & inſolitis, num. 34.

Lucem odit, qui malè agit, num. 35.

Dolus & fraus manifeſta eſt poſt translatum in ſe Dominium accipere bullettam tranſitus à Gabellarijs ſub nomine primi conductoris, num. 36.

Inuеriſimili confeſſioni non eſt ſtandum, numero 37.

Inueriſimile non debet ſequi à Iudice præſertim in probationibus, num. 38.

Teſtis de auditu non probat, quando repellitur author, num. 39.

Proxeneta, & Mediator non probat ad fauorem contrahentium in præiudicium tertij, nu. 40.

Noua qualitas & noua conditio nouam efficiunt diſpoſitionem, num. 41.

Nouatio cenſetur ſemper inducta, vbi contrahentes faciũt pactũ diuerſum à primo, nu. 42.

Contractus dicitur factus in loco deſtinata ſolutionis, & non ponderis, num. 43.

Contractus factus ad pondus, ante ponderationem non dicitur perfectus, num. 44.

Forenſes propter ignorantiam ſtatutorum excuſantur à dolo, num. 45.

Forenſes mendaces, & doloſè procedentes non excuſantur à dolo, num. 46.

Dolus verus & manifeſtus eſt falſa aſſeueratio, & machinatio facta ad decipiendum, fallendumque alterum manifeſtè adhibita, nu. 47.

Dolus, & fraus in Hebræis præſumitur, numero 48.

Hebræi ſunt ſemper intenti, & parati ad inſidias parandas Chriſti fidelibus, num. 49.

Subueniri non debet ijs, qui incidunt in foueam, quam fecerunt, num. 50.

Deceptis & non decipientibus leges, & iura ſubueniunt, num. 51.

Sericum poteſt per tranſitum regulariter manere in Dogana Bononiæ per duos menſes abſque eo, quod de eo ſoluatur Gabella, dummodo non intret Ciuitatem de menſibus Martij, Aprilis & Maij, num. 52.

Gabella alia non ſoluitur de rebus quæ Bononiam introducuntur per tranſitum, niſi illa tranſitus, etiam quod mutent Dominum, & transferatur Dominium de vno in alium, nu. 53.

Datium ſoluitur pro ſerico, quod introducitur Bononiam ad effectum vendendi, num. 54.

Qualitate ſtatuti ceſſante ceſſat eius diſpoſitio, num. 55.

Sericum introductum in Bononiam etiam per tranſitum non poteſt vendi ſine ſolutione Datij, num. 56.

In claris ceſſat omnis dubitatio, num. 57.

Capitulum ſacra conſulta, quod de rebus quæ Bononiam introducuntur per tranſitum non ſoluatur alia gabella niſi illa tranſitus, etiam quod mutent Dominum non loquitur de ſerico, ſed generaliter de rebus, num. 58.

De ſerico introducto Bononiam per tranſitum non poteſt transferri datium ſine ſolutione datij, num. 59.

Specialis diſpoſitio præfertur generali, num. 60.

Statuta duo vbi reperiuntur alterum ſpeciale, & alterum generale ſemper attenditur illud, quod in ſpecie caſum controuerſum decidit, num. 61.

Satutum primum generale reſtringitur per ſecundum ſpeciale, num. 62.

Statutum generale debet ſeruari in omnibus alijs caſibus, in quibus non loquitur ſtatutum ſpeciale, num. 63.

Gabella groſſa eſt diſtincta à Gabella Datij Pauilioni, num. 64.

Illatio ex diuerſis fieri non poteſt, num. 65.

Obſeruantia certa & antiqua eſt ſeruanda in Gabellis, num. 66.

Con-

Digitized by Google

Conſuetudo longi temporis, & obſeruantia ſub-
ſequenta deſeruit pro interpretatione ſtatuti,
num.67.

Dominus illuminatio mea.

FVNDATAM ſatis, ſuper-
que exiſtimo intentionẽ Do-
minor. Datiariorũ Pauilio-
ni,& Cameræ Bononię quod
